DE TITULIS SEPULCRALIBUS LATINIS QUAESTIONUM CAPITA QUATTUOR

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

WALTHARIUS SCHWARZLOSE

MUEHLBERGENSIS

HALIS SAXONUM
TYPIS WISCHANI ET BURKHARDTI
MDCCCCXIII

DE DISSERTATIONE PROBANDA
AD PHILOSOPHORUM ORDINEM RETTULIT
GEORGIUS WISSOWA

Examen rigorosum habitum est a. d. IV. non. Dec. a. MDCCCCXII.

PARENTIBUS CARISSIMIS SACRUM

Conspectus.

Ex his libris, qui continent inscriptiones Latinas, congessi titulos sepulcrales ad propositum meum pertinentes:

CIL = Corpus inscriptionum Latinarum.

CIG = Corpus inscriptionum Graecarum.

IG = Inscriptiones Graecae.

IGR = Inscriptiones Graecae ad res Romanas pertinentes. Edendum curavit R. Cagnat. Paris 1901 sqq.

Le Bas = Voyage archéologique en Grèce et en Asie mineure fait par Ph. Le Bas et W. H. Waddington. Pars III. Paris 1870.

Dessau = Inscriptiones Latinae selectae ed. H. Dessau. Vol. II. pars II. Berolini 1906.

de Rossi = Inscriptiones Christianae urbis Romae septimo saeculo antiquiores ed. de Rossi. 1867 sqq.

Not. d. sc. = Notizie degli scavi (1888—1911).

Rev. arch. = Revue archéologique (1885—1911).

Eph. ep. = Ephemeris epigraphica (I—VIII).

Bull. corr. hell. = Bulletin de correspondance hellénique (1877–1912).

Suppl. Ital. = Corporis inscriptionum Latinarum supplementa Italica. fasc. I. Additamenta ad vol. V. Romae 1884.

Buech. = Buecheler, carmina Latina epigraphica. Lipsiae 1895 sqq.

Mitteilungen des kaiserl. deutschen archaeologischen Instituts, Roem. Abteilung (1886—1911).

Jahreshefte des österreichischen archaeologischen Instituts (1898 bis 1911).

Diehl, Altlateinische Inschriften. Bonn 1909.

Praeterea his notis usus sum:

P. = Pauly, Realencyclopädie der classisch. Altertumswissenschaft.

P.-W. = Pauly-Wissowa, Realencyclopädie der classischen Altertumswissenschaft.

Roscher = W. H. Roscher, Ausführliches Lexikon der griechisch. und römischen Mythologie.

Wissowa = Wissowa, Religion und Kultus der Römer. 2. Aufl. München 1912.

I

Cum de numinibus in titulis sepulcralibus latinis occurrentibus quaestionem instituere susceperim, de horum titulorum forma quas per temporum decursum mutationes subierit[1]) paucis praemonere e re erit. Ac primum quidem antiquissimis temporibus Romani, quippe quorum animi simplices et recti essent ac vita horrida incultaque, nomen defuncti solum casu nominativo usi tumulo inscribere solebant. Huius usus exempla sunt tituli Tusculi reperti CIL I 65—72 = XIV 2700—2707 vel campi Praenestini CIL XIV 3046—3310. CIL I 1076 = VI 6907 (Roma): *M. Pinari P. l. Marpor.* IX 2782 (Bovianum vetus): *C. Fladius Ban. f. Luccia v. s.* Atque etiam cum complurium corpora eodem tumulo condita erant, omnium nomina huic inscribebantur ex. c. CIL I 1020 = VI 10588 (Roma): *M. Aebutius M. l. Macedo pater M. Aebutius M. l. Callistratus f. M. Aebutius M. l. Eros Iulia L. l. Berenice f. Iulia L. l. Hesuchium Pomponia L. l. Selene Clodia* (*Gaiae*) *l. Antiocis.* CIL I 1033 = VI 13164.[2])

Sed praeter nominativum iam in vetustis titulis sepulcralibus invenimus defuncti nomen casu genetivo expressum ex. c. CIL I 1025 = VI 12274. I 1036 = VI 14286: *P. Calvi Philoda et Calviae Philem.* IX 4237 (Amiternum): *L. Apisi Tit. f. Maiai L. f. Apisiai L. f. f. L. Apisi L. f. f.*

---

[1]) Huebner, Röm. Epigraphik, ed. II. 1892, in Iwan Müller, Handbuch der klass. Altertumswissensch. I p. 685 sqq. Cagnat, Cours d'épigraphie Latine, ed. III, Paris 1898, p. 251 sqq.

[2]) alios affert Dessau II 2 p. 835 sq.

C. Apisi L. f. f. Mox autem Romani nudo nomine non contenti ad formam ampliorem se verterunt. Nam cum ad subtiliorem intellegentiam elegantiamque pervenissent, titulos sepulcrales paulatim exornare melius et copiosius coeperunt. Quare praeter nomina defuncti et eius, qui titulum posuit, tum aetatis, ad quam ille venisset, non modo qua condicione vitae usus esset adiungebant, sed etiam carmina, quae mortuum celebrarent, titulo inscribendi mos invaluit. Huius modi elogia, quae occurrunt iam in Scipionum sarcophagis[1]) CIL I 29—37 = VI 1284—91, primum composita versibus Saturniis, deinde hexametris et iambis, denique quibuscumque metris poetae Graeci usi erant, celerrime increbrescebant atque etiam in plebis usum delata sunt. Nam patet imprimis divites et nobiles Romanos hunc morem accepisse, quippe quorum praeclarissima facta maiorum et magistratus honoresque, quibus illi functi erant, enumerare interesset.

Sed Romani progressi sunt longius. Nam cum ut iam antea in titulis honorariis, qui primitus nominis accusativum Graeco more habuerant[2]), ita tum etiam in sepulcralibus nomen dativo exprimere coepissent[3]) imitaturi sacros, in quibus haec forma antiquitus usitata erat, titulos sepulcrales magis magisque induebant nota formaque monumentorum forensium splendida, ut eorum non pauci titulis sacris vel honorariis prorsus assimilarentur ab hisque vix distingui possint; ut exempla afferam, CIL VI 1422. 1449. XIV 3608 (Tibur): *Ti. Plautio M. f. Ani. Silvano Aeliano pontif(ici) sodali Aug(ustali) III vir(o) a(ere) a(rgento) a(uro) f(lando) f(eriundo) qu(aestori) Ti. Cae-*

---

[1]) alia affert Huebner l. c. 686.

[2]) Huebner l. c. 693.

[3]) In titulis sepulcralibus vetustis nominis dativus invenitur raro. Titulos eiusmodi, qui ante Caesaris mortem facti sunt, hos affero: CIL I 1026 = VI 12289. I 1031 = VI 12804. I 1064 = VI 21696. I 1104 = VI 29954. I 1458 = V 861. I 1461 = V 1418.

saris legat(o) leg(ionis) V in Germania pr(aetori) urb(ano) legat(o) et comiti Claud(ii) Caesaris in Brittannia consuli proco(n)s(uli) Asiae legat(o) pro praet(ore) Moesiae etc. Quin etiam multi testamenta, orationes funebres, similia titulis sepulcralibus inscribere non dubitabant. Sed tamen non pauci servabant formam priorem et simplicem, sicut CIL VI 1276 titulus Cn. Calpurnii Pisonis, VI 1319 C. Poplicii Bibuli, VI 1274 Caeciliae Metellae; ex septimo urbis saeculo magnus numerus exsistit titulorum, qui solum nomen defuncti in casu recto positum continent, ex. c. CIL VI 11012. 11023. 11197. V 2316—72. II 3294. 1586 ad 1596. XII 1038. 1714[1]); saeculi primi p. Chr. n. VI 1392. 1395.

Imprimis pauperes, qui in sepulcra tantos sumptus conferre non possent, praeter nomina et annos[2]) mortui condicionem vitae et qui privatus usus ipsis cum mortuo fuisset posteris tradere contenti erant.

Sed quia multi homines, qui vitam in pauperie degebant, suo sumptu sepulcrum sibi parare non poterant, collegia funeraticia, quae nominantur, orta sunt. Itaque Augusti aetate cum soli pretium aliquanto auctum esset, ossuaria, quae falso columbaria nominantur[3]), aedificari coepta sunt, in quibus pauperes sepeliebantur. In his quoque columbariis inveniuntur illae tres species titulorum, quarum in prima nomen defuncti nominativo, in altera genetivo, in tertia dativo casu expressum est, etiamsi ob parvum spatium tituli fere scripti sunt quam brevissime. Atque ad has tres species, quae nobis titulos sepulcrales Latinos percurrentibus, sive illi pauca verba continent sive magnificentius et copiosius exornati sunt, semper et ubique occurrunt, omnes tituli sepulcrales tamquam ad fundamenta sua redeunt; neque nos effugere potest quo posteriore tempore concepti sunt eo saepius in titulis

---

[1]) alios vide apud Huebnerum l. c. 685 sq.

[2]) etiam menses et dies saepe exhibent tituli, horas raro, ex. c. CIL VI 15268. Eph. ep. VII 212 (Utica).

[3]) Samter, P.-W. IV 593 sqq.

nomen mortui dativo expressum esse, quae forma ubi primum e titulis sacris in sepulcrales translata est, priores longe superavit.

Iam constat Augusti aetate titulorum sepulcralium formas speciesque, quas adhuc cognovimus, eo mutatas esse, quod tum in illas illatum est aliquid novi, id est quod hac quidem aetate mos sepulcra dis Manibus consecrandi increbuit. Et quamquam religio deorum Manium iam diu Romanorum animos commoverat — commemorantur enim di Manes in formula devotionis[1] —, illos non ante Augusti aetatem in titulis sepulcralibus reperiri omnes viri doctissimi consentiunt[2]. Iidem docent vetustissimum titulum, in quo di Manes commemorantur, esse dedicatorium litteras *deum Maanium* tenentem CIL I 1410 = XI 5359[3]. Quem in Umbria repertum saeculo secundo vertente factum esse ab omnibus viris doctis probatur[4].

At titulorum sepulcralium, qui ad nos pervenerunt, vetustissimum dis Manibus consecratum (CIL I 639 = XIV 2464 [Castrimoenium]: *dis Manibus sacrum L. Caecili Rufi*) Augusti aetate scriptum esse Mommsenus suo iure affirmavit[5].

Sed quem ad modum mos titulos sepulcrales dis Manibus consecrandi non solum in Italia, sed etiam per totum imperium Romanum increbuerit, optime cognosce-

---

[1]) Livius VIII 6, 10. 9, 8.

[2]) Mommsen CIL I p. 612. Preller-Jordan, Röm. Mythologie (ed. III. Berlin 1881) II 66 n. 3. Santoro, Riv. d. filol. XVII (1889) p. 2. Huebner l. c. 687. Steuding apud Roscherum II p. 2317.

[3]) Steuding l. c. II p. 2317.

[4]) argumenta, quibus illum titulum hac aetate scriptum esse verisimile fit, affert Weynand, Form und Dekoration der römisch. Grabsteine der Rheinlande im 1. Jahrhundert, Bonner Jahrb. 108/9 (1902) p. 189.

[5]) Mommsen CIL I p. 187: „mortuus videtur imperante demum Augusto.“

mus ex titulis, qui qua aetate positi sint ob homines commemoratos aut ex aliis notis scimus. Ac primum quidem eiusmodi titulos, qui Romae et in Italia exstant, perlustremus.

Patet etiam tum multos titulos priores formas simplices servavisse nec deos Manes commemorare, sicut CIL VI 6794, qui titulus incisus est anno 754 u. c. VI 7462 (anno 12 p. Chr. n.). VI 7479 (a. 16 p. Chr. n.). VI 1274 titulus Caeciliae Metellae, cuius pater anno 69 a. Chr. n. consulatu functus est. VI 1371 Calpurniam uxorem fuisse L. Nonii Asprenatis, consulis anni 6 p. Chr. n. Henzenus affirmat; titulus a filiis positus est, quorum L. Nonius Asprenas fuit consul anni 29 p. Chr. n. CIL VI 3530, quem titulum Augusti fere aetate scriptum esse inde apparet, quod mortuus fuit tribunus legionis XVIII deletae sub Varo a Germanis. Neque minus titulum CIL VI 1460 esse aetatis Augusti certum est, quoniam post bellum Actiacum legio XXVI nulla fuit. Etiam primi p. Chr. n. saeculi supersunt nonnulli tituli, qui formula *dis Manibus* careant. Titulus CIL VI 1392, in quo solum nomen casu nominativo expressum exstat, medio fere primo saeculo positus est, cum mortuae patrem Cn. Cornelium Lentulum Gaetulicum anno 26 p. Chr. n. consulatum obtinuisse notum sit. CIL X 1504 (Neapolis) = IG XIV 794 (anno 59 p. Chr. n.). CIL VI 1402 C. Dillio Voculae, qui anno 70 p. Chr. n. bellum contra Civilem gerens occisus est[1]); primi saeculi exeuntis CIL VI 1347. 1349. 1365.

Contra in multis titulis eadem aetate positis invenitur formula *dis Manibus* ut CIL VI 6814 (a. 2 p. Chr. n.), ante Augusti exitum CIL VI 5978. 5980. 6047, inter Augusti et Tiberii aetatem VI 1483. 2156. 2169. 2329. 8012. 8084. Si L. Nonius Asprenas, qui titulum VI 2156 posuit, idem est atque is, qui anno 6 p. Chr. n. consul fuit et anno 9 p. Chr. n. duas legiones Varianas trans Rhenum reduxit,

---

1) Tac. hist. IV 24 sqq.

hunc titulum et ipsum ad Augusti aetatem referas necesse est. CIL XI 219 (Ravenna) litteris magnis et pulchris ut videtur aetatis Augusti. VI 2489 (anno 29 p. Chr. n.). VI 10251 (anno 53 p. Chr. n.). VI 1483 (a. 57 p. Chr. n.). VI 15616 Ti. Caesaris serva. I 1541 b = IX 1705 (Beneventum) „lapis certe scriptus est post Claudium imperatorem"[1]). CIL XIV 483 (Ostia) sepultus est libertus Claudii Augusti. VI 1445 primi saeculi fere medii; Mommsenus enim probabilissime coniecit patrem Liciniae, cui hic titulus positus est, fuisse M. Crassum Frugi, consulem anni 27, maritum autem L. Pisonem consulem anni 57 p. Chr. n. Vitellii aetate VI 1528. 9248. Domitiani VI 2312. 5405. 9052. 10062. 12037.

Neque aliud docent nos columbariorum monumenta Monumenta in vinea Aquariorum ad viam Latinam effossa omittamus, quia ibi non modo primo saeculo exeunte, sed etiam Antonini Pii aetate mortui sepulti sunt[2]). Titulorum 400, qui monumento Liviae continentur (CIL VI 3926—4326) et inter aetatem Augusti et Claudii scripti sunt[3]) duobus exceptis (4228. 4229), non plus quattuordecim dis Manibus consecrati sunt atque adeo titulorum 44 (CIL VI 5887—5930), qui Augusti aetatis sunt, nullus; monumenti autem Carvilii CIL VI 7590—7599 duo (7598. 7599). Nec minus monumenti Statiliorum parte primaria (VI 6213—6594) continentur duo tituli eiusmodi (6422. 6589.), sed eiusdem monumenti in partibus secunda et tertia, quas in usu fuisse imperante Claudio atque etiam extremis Neronis annis apparet[4]), e titulis 45 invenitur formula *dis Manibus* in sedecim. Porro in monumento Marcellae, quod maxime aetate Augusti extrema et imperante Tiberio videtur esse usurpatum[5]), 463 titulorum

---

[1]) Mommsen CIL I p. 562.
[2]) Huelsen CIL VI p. 1023.
[3]) Huelsen CIL VI p. 878.
[4]) Huelsen CIL VI p. 1011.
[5]) Mommsen CIL VI p. 910.

(VI 4418—4880) dis Manibus consecrati sunt 76; in monumento in vinea Rufiniorum effosso[1]) habemus quindecim titulos eiusmodi (VI 8012—8084), monumenti prope portam Praenestinam reperti (VI 5961—6148), quod aetatis Augusti est, exstant decem. Inter titulos VI 4881—5178, qui Tiberio et Claudio imperantibus facti sunt, inveniuntur 62, inter titulos VI 6149—6212 aetate Claudii scriptos triginta. Sed 29 titulorum, qui libertis et familiae L. Arruntii anno 37 p. Chr. n. mortui positi sunt (VI 5931—5960), duodecim continent formulam *dis Manibus*.

Quibus ex testimoniis satis apparet morem dis Manibus titulos sepulcrales consecrandi paulatim increbuisse; primo enim aetate Augusti formula *dis Manibus* occurrit raro, deinde saeculo primo medio iam saepius invenitur, denique ex primo saeculo exeunte in plerosque titulos urbanos invasit, ut testimonia plura supervacuum sit afferre[2]).

Nec mirum est, quod hic mos parvo temporis spatio intermisso in provincias quoque imperii Romani venit; patet autem eum paulatim diversas regiones invasisse multumque temporis praeterisse, dum in communem usum reciperetur. Nam quamquam qua aetate tituli sepulcrales positi sint raro certis indiciis diiudicari potest, tamen e titulis quamvis paucis, quorum aetatem definire licet, perspicue videmus primo saeculo p. Chr. n. titulos dis Manibus consecratos raros esse, sed ex saeculo secundo illorum numerum magis magisque auctum esse.

In Gallia Cisalpina testimonium certum saeculi primi exstat CIL V 4953 (Camunni): *dis Manibus Drusi Caesaris Germ . . . . .*; qui iussu Tiberii necatus est anno 33 p. Chr. n. Nec minus primi saeculi est CIL V 2931

---

[1]) quod paulo post mortem Augusti in usu fuisse titulus 8012 ostendit.

[2]) Plura videas apud Santoro, Rivist. d. filol. XVII (1889) p. 7.

(Patavium): *dis Manibus Claudia(e) Ti. Augusti l(ibertae) Toreumae annor. XVIIII*; nam ex hasta post verbum *Augusti* posita *l* restituendum esse mihi videtur probabilissimum.

CIL V 90 (Pola): *d(is) M(anibus) Fortunato Iuli Frontonis actori Patrata coniux* etc. In hoc titulo dubium est, utrum Iulius Fronto idem sit atque is, qui a Galba exauctoratus est[1]), an eius filius, qui anno 129 praefectus classis praetoriae Misenensis fuit[2]). Utcumque res se habet, certe saeculo secundo eum exaratum esse patet.

Addam titulum, qui saeculo secundo positus formulam *dis Manibus* nondum exhibet CIL V 565 (Tergeste): *P. Aelius Aug(usti) lib(ertus) Felix v(ivus) f(ecit) sibi et Caeserniae Saturninae coniugi carissimae.*

In Hispania habemus titulum CIL II 2284 dis Manibus nondum consecratum, cuius „nomina sic nude posita sine vitae annis et reliquis formulis sepulcralibus aetatem indicant satis antiquam i. e. Augusti fortasse"[3]). Porro deorum Manium mentio deest in CIL II 6134, ubi Huebner annotat: „litteris optimis saec. I." Idem ex argumentis palaeographicis titulos dis Manibus consecratos refert ad saeculum primum hos: CIL II 26. 43. 5331. 5714. 5730. 5719, nisi in hoc titulo *M* vim habet *memoriae*. CIL II 490 videtur primo saeculo vertente exaratus esse, cum legio VI Victrix anno 70 in Germaniam traducta sit. Paulo posterior est II 491, in quo legio VI Victrix Pia Felix appellatur, quod cognomen e Traiani fere aetate habet[4]).

---

1) Tac. hist. I 20. II 26. Prosopogr. imp. Rom. II p. 193 n. 217.

2) in titulo V 4091 anni 129 p. Chr. n. legitur: *iis qui militaver(unt) in classe pr(aetoria) Misenensi quae est sub Iulio Frontone;* cf. etiam Prosopogr. II p. 193 n. 218.

3) Huebner CIL II p. 318.

4) Pfitzner, Gesch. der röm. Kaiserlegionen von Augustus bis Hadrian. (Leipz. 1881) p. 240. Marquardt, Röm. Staatsverwaltung II p. 446 n. 10.

In Africa etsi titulorum dis Manibus consecratorum numerus satis magnus superest, tamen qua aetate tituli militares facti sint, propterea certo definiri non potest, quod legio III Augusta ex Augusti aetate usque ad imperii Romani finem provinciae Africae praesidio erat[1]).

Saeculi primi vertentis vel ineuntis saeculi secundi est CIL VIII 1026 (Carthago): *dis Manibus sacr(um) Q. Vilanius Q. f. Vol. nepos Philippis (centurio) coh(ortis) XIII urb(anae) donis donatus a Domitiano ob bellum Dacicum item ab eodem ob bellum Germanicum* etc. Ad eadem tempora nescio an referri possit VIII 1025, qui non aliter atque proximus et Carthagine repertus et militi cohortis urbanae XIII positus est. Titulum VIII 12657 posuit Valentinus quidam, quem cum Hadriano in Africam venisse Mommsenus observavit[2]). Medio fere saeculo secundo exaratus est VIII 12667 (Carthago): *d(is) M(anibus) s(acrum) P. Aelius Augustorum lib(ertus) Felix*, cui propter nomen *Aelius* cum genetivo *Augustorum* coniunctum Mommsenus recte coniecit ab Hadriano manumisso post eius obitum Pium patronum fuisse. Porro cum legio VII Gemina, quae ex primo saeculo exeunte in Hispania castra stativa habebat[3]), saeculo tertio cognomine Antoninianae ornata sit[4]), ad saeculum secundum titulum VIII 3236 esse referendum puto.

In Dalmatia omnium titulorum, qui ante aetatem imperatorum Flaviorum positi sunt, Weynand[5]) affirmavit in nullo inveniri formulam *dis Manibus* nisi in CIL III 2678 (Tragurium): *dis Manibus sacrum C. Vibius C. f. Pompt. Pudes dom. Arret. (centurio) leg(ionis) VII C(lau-*

---

[1]) Tac. hist. II 97. IV 48. Pfitzner l. c. 226. Marquardt l. c. 467 sq. Fiegel, historia legionis III Augustae (Diss. Berol. 1882) p. 11 sq.

[2]) Mommsen CIL VIII p. 1336; cf. Eph. ep. V p. 111.

[3]) Pfitzner l. c. 245.

[4]) Grotefend apud P. IV 887. Marquardt l. c. II 455.

[5]) Weynand l. c. 190.

diae) *P*(*iae*) *F*(*idelis*); quem titulum inter annos 42 et 66 positum esse idem docuit.

Idem vir doctus attulit ex Gallia Narbonensi complures titulos, quos aetate imperatoria ineunte aut certe primo saeculo p. Chr. n. factos esse ob litterarum formas Hirschfeldius[1]) docuit, ut CIL XII 319. 720. 764. 801. 907. 1368. 1752. 2235. 2297. 3207. 3218. 4907. 5112. 5301.

In Germania formulam *dis Manibus* exhibet CIL XIII 6812 (Mogontiacum), quem titulum ante Flaviorum aetatem positum esse Weynand ibidem planius exposuit. Idem monstravit titulum CIL XIII 6304 Aquis Aureliis repertum inter annos 70 et 90 factum esse; ex saeculo secundo CIL XIII 6232 „bonis litteris saeculi II". CIL XIII 8652 (Colonia Ulpia Traiana): *dis Manibus M. Vetti Saturnini vet*(*erani*) *leg*(*ionis*) *XXII P*(*rimigeniae*) *P*(*iae*) *F*(*idelis*) *civi Traianensi M. Antonius Honorat* ..... Legio XXII Primigenia[2]), quia Antonii Saturnini, qui Domitiani imperium detrectare in animo habebat, partes non erat secuta, cognomine Pia Fidelis Domitiana ornata est, sed Domitiano mortuo postquam senatus eius memoriam damnavit, cognomine Domitiana deleto Pia Fidelis appellabatur. Hunc titulum Hadriano fere imperante positum esse vel inde intellegitur, quod mortuus a Traiano civitate donatus est. CIL XIII 8735 (Noviomagus): *dis Manibus C. Iulio Clau. Pudenti Iul. Emona vet*(*erano*) *leg*(*ionis*) *X G*(*eminae*) *P*(*iae*) *F*(*idelis*). Quem titulum cum legio X Gemina anno 70 ex Hispania in Germaniam missa esset, ut bellum contra Civilem gereret, sub Marco

---

[1]) Hirschfeld CIL XII p. 963.

[2]) Weichert, Die legio XXII Primigenia (Trier 1903) p. 21 sqq. Pfitzner l. c. 271. Marquardt l. c. II 448 sqq. Ritterling, de leg. Rom. X Gemina (Diss. Lips. 1885) p. 13 sqq., Westdeutsche Zeitschrift XII (1893) p. 207 sqq.

autem imperatore in Pannonia castra stativa obtineret[1]), saeculo secundo ineunte vel medio ortum esse puto.

Ex Britannia certa documenta saeculi primi supersunt nulla: CIL VII 24 Huebner putat litteras primi saeculi esse. VII 30 (Londinium): *dis [M]anibus [F]ab. Alpini Classiciani*; num recte Smith de Iulio Classiciano, Neronis procuratore cogitaverit, in dubio relinquitur, „duplex enim cognomen ad Domitiani Traianive tempora ducit“[2]). Primo saeculo vertente attribuendi sunt CIL VII 14. 191. Sed tituli dis Manibus consecrati saeculi secundi exstant non pauci. In horum numero habendi sunt ii, in quibus legio VI Victrix commemoratur, cum haec legio ab Hadriano in Britannia collocata sit[3]); ex. c. CIL VII 25. 245. 247. Propter litterarum formas Huebner refert ad saeculum secundum VII 78. 92. 125. 126. Eodem tempore nescio an positus sit titulus VII 23, qui ad militem legionis II Augustae pertinet; haec autem legio a Claudio in Britanniam ducta imprimis Hadriani vallo quod nominatur exstruendo intererat[4]).

Denique afferam VII 1146 (Ardoch): *dis Manibus Ammonius Damionis* (*centurio*) *coh*(*ortis*) *I Hispanorum stipendiorum XXVII heredes f*(*e*)*c*(*erunt*). Omnium titulorum, qui ex toto imperio Romano ad nos pervenerunt, hic maxime versus septentrionem repertus est; quem saeculo secundo positum esse nemo negabit, cum tabulae

---

1) Tac. hist. V 19. Ritterling, de leg. X Gem. p. 37 sqq. 49 sqq. Pfitzner l. c. 249. Marquardt l. c. II 447 et 451. Mommsen CIL III p. 482.

2) Huebner CIL VII p. 23.

3) CIL VI 1549: *trib. mil. leg. VI Victrix, cum qua ex German*(*ia*) *in Brittan*(*iam*) *transiit.* Huebner, Hermes XVI (1881) p. 546. Pfitzner l. c. 240. Marquardt l. c. II 446 n. 10.

4) Huebner, Hermes XVI 530 sq. Pfitzner l. c. 223. Marquardt l. c. II 446.

veteranorum[1]) annorum 104. 106. 124. 146 cohortem I Hispanorum in Britannia stipendia meruisse testentur.

In Aegypto, Arabia, Syria tituli sepulcrales dis Manibus consecrati non ante saeculum secundum exiens scripti sunt, nisi forte vetustior est CIL III 181 = 6697 (Byblus): *dis Manibus L. Philocalus* [*pra*]*ef. Col. Valen. Gadara mil. leg. X Fr*(*etensis*). Neque enim cum legio X Fretensis iam sub Augusto in Syria stipendia meruerit et postea bello Iudaico interfuerit[2]), quicquam obstat, ne hunc titulum iam saeculo primo exeunte vel secundo ineunte vel medio exaratum esse putemus; quocum convenit formula *dis Manibus* omnibus litteris perscripta.

Titulos graecos deorum Manium mentionem continentes plerumque posuerunt Graeci sive liberi sive Romanorum liberti vel servi, qui a Romanorum religione non iam prorsus alieni titulis quoque sua lingua scriptis opiniones Romanas interdum inserebant[3]). Sed cum plerique eiusmodi tituli a libertinis exarati sint[4]), nomina Romana saepissime occurrunt; etiam civium Romanorum nomina inveniuntur non raro ut IG XIV 1707. 1937 Graecus coniugi Romanae. XIV 1764 civi Romano coniux Graeca. 2013 libertinus coniugi Romanae; nonnulli tituli graeci a Romanis positi sunt sicut IG XIV 846. 847. 1371. CIL VI 7641. IGR I 243; nec desunt tituli, quamvis pauci sint, in quibus et mortuus et tituli auctor gentis Romanae aut certe Italicae est ex. c. IG XIV 1578. 1718. 1816. 1818; in horum numero habeam CIL VI 4806: *Θ*(*εοῖς*) *κ*(*αταχθονίοις*) *Περεγρίνῳ πάτρωνι καὶ συνβί*(*ῳ*) *ἀγαθωτάτῳ*

---

[1]) Huebner CIL VII p. 85. Cichorius, P.-W. IV 297.

[2]) Pfitzner l. c. 250 sqq. Marquardt l. c. II 447.

[3]) etiam vocabula Latina litteris graecis scripta nonnumquam exhibent tituli graeci ut CIL VI 4806 *πάτρωνι*. VI 6164 *σακέρδωτι*.

[4]) huius rei testimonia innumerabilia sunt ex. c. IG XIV 1596: *Ευδαίμων καὶ Ὑγία Ἰουλίου Σεουήρου ἀπελεύθεροι*; cf. IG XIV 1624. 1677. 1684. CIL VI 4880.

Οὐλπία Γλυκέρα μνήμης. Sed titulos lingua utraque scriptos cives Romani saepius exarabant, cum in regionibus ad orientem spectantibus commorabantur.

In titulis sepulcralibus eiusmodi graecis formula *dis Manibus* plerumque conversa legitur vocibus: *θεοῖς καταχθονίοις, θεοῖς δαίμοσιν, θεοῖς ἥρωσιν.* Qui tituli occurrunt iam in columbariis, quae aetate imperatoria prima in usu fuisse scimus; ex. c. in monumento Marcellae CIL VI 4806. 4880; in monumento effosso in vinea Codiniorum VI 4997. 5099; in Silanorum monumento VI 7641, e Claudii temporibus VI 6164. 6167; ex saeculo secundo ineunte vel medio CIL VI 12504 = IG XIV 1540 titulus Latinus, in cuius parte altera legitur: *d(is) M(anibus) ἐνθάδε κεῖται Δίκαιος.* Eodem fere tempore IGR I 243 = Bullet. comun. XXVIII 1899 p. 161 (Roma): *θ(εοῖς) δ(αίμοσιν) Εὐτυχειανῷ ἀπελευθέρῳ τιμιωτάτῳ Ἀντώνιος Ἴβηρος μνήμης χάριν.* Antonium Hiberum fuisse consulem anni 133 p. Chr. n. notum est.[1]) IG XIV 1472 = CIG III 6559, quem titulum saeculo secundo rex Armeniae fratri Romae posuit.

Tituli graeci in Italia et Sicilia reperti, quibus superscriptum est *θ(εοῖς) κ(αταχθονίοις)*, etsi eorum numerus maximus est, qua aetate facti sint, in universum diiudicari non potest, sed non pauci notas posterioris temporis ferunt ut ii, qui nomen gentile Aureliorum continent.[2]) Iam cum ita res se habeat, hoc loco testimonia pauca addam, ex quibus intellegatur, quae synonyma praeter verba *θεοῖς καταχθονίοις* in titulis graecis in usu fuerint.

θεοῖς χθονίοις IG XIV 30. 49. 1375. 1947.
θεοῖς δαίμοσιν IG XIV 938. 1337. 1340. 1396.
θείοις δαίμοσιν IG XIV 848.
θεοῖς καὶ δαίμοσιν IG XIV 941.

---

1) Prosopogr. I p. 100 n. 668.

2) Ut exempla afferam: IG XIV 1454. 1456. 1459. 1468. 1469. 1471. 1472. 1475. 1476. 1478. 1488. 1492 alia.

θεοῖς ἥρωσιν IG XIV 1572. 1795. 1959.
θεοῖς ὑποχθονίοις IG XIV 1801.
θεοῖς καταγαιδίοις IG XIV 581.

In provinciis imperii Romani tituli eiusmodi raro inveniuntur.

IG III 1435 = CIL III 560 titulus Antoniae, triumviri filiae, quae sub Caligula obiit[1]), lingua utraque scriptus illa formula caret, atque omnino inter inscriptiones Atticas aetatis Romanae, quae tertio Inscriptionum Graecarum volumine continentur, nulla exhibet verba *θεοῖς καταχθονίοις*. Neque vero hoc loco nonnullos titulos illis deis consecratos ex provinciis afferre mihi a re alienum esse videtur.

Syria: CIL III 191, ubi legitur: *θεοῖς καταχθονίοις καὶ δαίμοσιν*.
Asia: CIL III 421. 14179. 14180. Le Bas 936. 1492. Bull. corr. hell. XI (1887) 16.
Cappadocia et Galatia: CIL III 6768. 14184⁷.
Illyria: CIG II 1832.
Thracia: CIG II 2041.
Macedonia: CIL III 7331.
Syrus: IG XII 5, 696.
Gallia Narbonensis: CIL XII 3406. 3672.

Nec defuerunt, qui formulam in sermonem Graecum vertere supervacuum esse putarent, neque Graecis quoque titulis notam *DM* Latinam sive litteris Graecis sive Latinis tumulo inscribere dubitarent. Itaque legimus saepe: *Δ(is) M(anibus)* IG XIV 850. 912 = CIL X 6608. IG XIV 939. 1339. 1413. 1433. 1473. 1527. 1555. 1659. 1660. 1699. 1716. 1731. *Δ(is) M(anibus) Σ(acrum)* IG XIV 484. 1492. 1512. 1711. 1964. *ΔE(is) M(anibus)* IG XIV 698. *M(anibus)* IG XIV 2083; in uno titulo invenitur etiam *Θ(εοῖς) M(anibus)* IG XIV 1893. In titulo, qui scriptus est utraque lingua,

---

1) Prosopogr. I p. 106 n. 707.

legitur *D(is)* *Θ(εοῖς)* *K(αταχϑονίοις)* *M(anibus)* CIL VI 10971 = IG XIV 1983.

Itaque cum morem dis Manibus sepulcra consecrandi paulatim invasisse ac primo saeculo a paucis observatum esse viderimus, inde a saeculo secundo eum ita vulgatum esse constat, ut non solum Romae et in Italia, sed etiam in Illyria, in Hispania, in Africa, in Gallia Narbonensi, tribus Galliis hi tituli multitudine longe superent eos, in quorum capite non legitur *dis Manibus*. Ut numeros ponam: in Dacia inter quadraginta titulos sunt viginti quinque dis Manibus consecrati; idem de Dalmatia dicendum est, atque etiam maior est talium titulorum numerus in aliis provinciis, quas brevi ante enumeravi. Contra in Gallia Cisalpina etsi haec provincia iam ante bellum Punicum secundum sub Romanorum imperium redacta erat, tamen pauci tituli sepulcrales exhibent formulam *dis Manibus*; ubi inter titulos centum repperi viginti sex, qui dis Manibus consecrati sunt.

Nec mirum est, quod in provinciis, quorum incolae magis abhorrebant a Romanorum religione et ingenio, hic mos Romanus minus invaluit, ut in Macedonia inter titulos quinquaginta Latinos undecim exhibent formulam illam, inter quadraginta titulos, qui in Alpium provinciis reperti sunt, non plus quinque. In Germania superiore titulos nonaginta quinque perlustravi, in Germania inferiore septuaginta tres, quorum in utraque regione sexageni bini formula *dis Manibus* carent.

Ac primum usum Romae ortum a Romanis in provincias esse delatum per se apparet; id quod titulis perlustratis iam eo confirmantur, quod plerique tituli dis Manibus consecrati a Romanis positi sunt, imprimis a militibus Romanis sicut CIL XIII 6812. III 2678, quos titulos saeculo primo exaratos esse supra vidimus; et in Aegypto et Asia, in quibus terris omnino perpauci tituli sepulcrales Latini reperti sunt, tituli dis Manibus consecrati ad unum omnes a militibus Romanis scripti sunt.

Verum quod multi tituli a libertinis vel servis facti sunt, utrum civis Romanus an libertinus an servus fuerit, qui titulum posuit, nihil omnino interest. Hoc solo omnia continentur, quod libertini et servi non minus quam cives Romanorum religione imbuti erant, ut mores Romanos in alias regiones facillime transferrent; ut etiam titulos graecos, qui formulam *θεοῖς καταχθονίοις* aut similem continent, saepissime positos esse a libertinis iam supra diximus. Nimirum etiam barbari religionis Romanae non ignari propriis moribus depositis imitati sunt Romanos; sicut CIL XIII 8392 Iulius Kalois sorori Burspra titulum dis Manibus consecratum posuit. Quae omnia nihilominus in exceptionibus numeranda sunt, cum longe plerosque titulos eiusmodi ubique cives Romanos aut eorum libertos et servos fecisse pateat.

Sed quamquam ex saeculo secundo hanc formam titulorum sepulcralium vulgatissimam esse vidimus, tamen species vetustior, quae formula *dis Manibus* caret, non omnino disparuit. Paucos titulos urbanos afferam CIL VI 1604 (saeculo secundo ineunte). 1884 (a. 130). 1378. 1406 (saec. sec. exeunte). 1603 (a. 201). 1449. 1451 (saec. sec. vertente); saeculi tertii: 1368. 1369. 1413. 1422. 1423; quarti: 1709. 1713. Quae cum ita sint, fieri non potest, ut qua aetate titulus exaratus sit, ex sola formulae *Dis Manibus* additione vel omissione evincatur.

Sed etiamsi quinto saeculo hanc formulam magis magisque in titulis sepulcralibus disparuisse Santoro affirmat[1]), quantae auctoritatis fuerit apparet vel inde, quod superscripta est etiam titulis Christianis compluribus[2]). Etenim cum antea multi viri, quorum animi religione ecclesiae sanctae prorsus imbuti erant, illud expedire conati sint docentes in monumentis Christianis notam *DMS*

---

1) Santoro l. c. p. 7: „*Essa nel V secolo accenna a scomparire.*"

2) Hos titulos collegit G. Greeven, Die Siglen DM auf altchristl. Grabschrift. u. ihre Bedeutg. (Diss. Erlang. 1895), Rheydt 1897.

legendam esse *Deo Magno Sancto*[1]), hanc interpretationem falsam esse apparet e titulo in coemeterio Praetextati reperto, in quo formula *dis Manibus* perscripta nihil dubitationis relinquit[2]). Hic titulus nunc exstat in museo Kircheriano atque nuperrime editus est[3]) a Gustavo Greeven l. c. p. 20: *dis Manibus Principio filio dulcissimo suo posuit qui vixit annis VI dies XXVII in pace.* Qua in re nobis non neglegendum est Christianos formulas gentiles recepisse, sive quod in usu communi et cotidiano illis tantum proprietatis ademptum erat, ut nihil esse viderentur nisi formae inanes et quasi parerga, quibus scalptor titulum sepulcralem ornabat, sive quod id agebant, ut hoc modo suspicionem religionis Christianae a se averterent. Itaque ut antea alias quoque formulas — sicut *bonae memoriae, memoriae innocentissimae* CIL VIII 9715 — et ornamenta poetica gentilia acceperunt — ex. c. de Rossi II 68 = Buech. 1404: *antea me raperent Tartara grata magis* —, ita tum *d(is) M(anibus)*, quam notatam illos scribere maluisse quam perscriptam de Rossi annotat[4]). Ut testimonia pauca afferam: de Rossi I 24 (vetustissimus titulus urbanus a. 298)[5]). 1192 (saeculo tertio). CIL III 8899. 9414. 9593. V 1643. 1713. VI 32316. VIII 674. 9949. 9950. IX 1389. X 5957. 7914. XII 490. 4059. Denique me-

---

1) P. IV 1476. Kraus, Real-Encyclop. d. christl. Altertümer (1882) I 372 sq.

2) R. Rochette, troisième mémoire sur les antiquités chrétiennes in Mémoires de l'Acad. des Inscr. XIII p. 178. Becker, Die heidn. Weihformel DM auf altchr. Grabsteinen, Gera 1881. Cf. etiam V. Schultze, Die Katakomben, Leipz. 1882 p. 249.

3) Huius tituli recensiones priores sunt: Lupi, epitaph. Severae martyr. illustr. (Palermo 1734) p. 105. Brunati, Musei Kircheriani inscriptiones ethnicae et Christianae (Mediolani 1837) p. 114 nr. 262. Mamachi, origines et antiquitates Christianae (Rom 1846) III p. 16. Becker l. c. p. 10.

4) de Rossi I p. 28.

5) Kraus, R.-E. p. 373.

morabile est in titulis Christianis saepius occurrere formulas *hic requiescit in pace* et *bonae memoriae* imprimis in Africa et in Gallia Cisalpina.

Quod ad rationem scribendae formulae *dis Manibus* attinet, primo eam plene perscriptam — id quod in plerisque titulis, quos saeculo primo exaratos supra enumeravi, usu venit — deinde vulgo notatam esse notum est[1]). Nam cum mos hanc formulam titulis sepulcralibus superscribendi in vulgus iam se penetraverat, tum primum notam *DM* in maiorem usum venisse verisimile est. Huius quidem rei testimonium clarissimum est, quod in Dacia, quae provincia saeculo secundo et tertio sub imperio Romano erat, formula non reperitur nisi notata. Neque tamen qua aetate titulus factus sit, ex hac re licet certo concludere[2]), quandoquidem singuli nulla lege adstricti ad suum arbitrium sepulcra ornabant.

Rationem scribendi non fuisse firmam intellegitur vel e columbariorum monumentis, in quibus homines inter Augusti et Neronis aetatem sepulti sunt; ex. c. in monumento Liviae quattuordecim titulorum, qui dis Manibus consecrati sunt, quinque[3]) iam habent notam *DM*; in Marcellae monumento septuaginta trium quadraginta tres; inter titulos VI 8012—8084, qui paulo post mortem divi Augusti scripti sunt, exhibent non amplius septem formulam perscriptam (omnino quindecim tituli dis Manibus consecrati sunt). Atque tituli, qui monumento Drusi continentur, quos Mommsenus[4]) dicit omnes ad imperium Tiberii et fere ad annos eius priores pertinere, formulam notatam habent duobus exceptis CIL VI 4333. 4391. — CIL XIII 691 (Burgidala) continet formulam *d(is) M(ani-*

---

[1]) Huebner l. c. 687. Santoro l c. 11.

[2]) Weynand l. c. 192.

[3]) omnino sex, sed 4228 excipiendus est, cum hic titulus saeculo secundo positus sit.

[4]) Mommsen CIL VI p. 899.

bus) et notatam et perscriptam, sed qua aetate hic titulus scriptus sit, in dubio relinquitur. Nonnullos titulos in Gallia Narbonensi repertos, etsi formulam notatam habent, tamen primo saeculo exaratos esse argumentis palaeographicis nisus Hirschfeldius docuit: CIL XII 720. 764. 801. 907. 1368. 1752. 2297. Nec minus primi saeculi sunt CIL VI 2489 (a. 29). II 2643. XIII 609.

Contra multi tituli, in quibus formula perscripta est, posteriore tempore exarati sunt; ex. c. CIL VI 8558. 9052. VIII 1026 (aetate Domitiani), saeculi secundi: CIL II 5426. VII 1146. VIII 3226. 12657. XIII 8652. 8735. XIV 3637. III 6605 (*dis M*), *dibus M* II 6338v (saeculi tertii).

Quae formula non modo nota *DM* expressa est, sed denotata vario modo. Litteras singulas, quibus formula exprimebatur, longum est enumerare, notam *DM* autem ordine inverso *MD* saepe occurrere in Gallia Narbonensi adnotare non omittam. Formulam *DMS* videmus non fuisse in tanto usu in quanto *DM*; nam quisquis ducentos fere titulos urbanos, qui dis Manibus consecrati sunt, perlustraverit, in septemdecim tantum leget *DMS*; in nonnullis regionibus, dico in Raetia, in Gallia Narbonensi, in provincia Lugdunensi, haec nota *DMS* numquam reperitur; contra in Hispania et Africa — provincia Numidia excepta — saepius quam *DM* occurrit.

Denique memorabile est hanc formulam, quae plerumque tituli initium facit, interdum in extremo titulo legi ex. c. CIL III 2889. 3407. 6141. 8166. 12484. 12853. VIII 5942. IX 672. 5813. 3577. XII 319. 439. 1629.

Deos quidem Manes constat in prisca Romanorum religione idem significasse atque deos inferos; nam haec verba synonyma esse satis apparet e titulis, in quibus legitur *d(is) i(nferis) M(anibus)* vel *d(is) M(anibus) i(nferis)* sive notatum sive perscriptum, ex. c. CIL II 238. 2464.

2640. 2686. 2722. 2725. 4424. 5312. 5364. 5850. III 704. 3844. 8021. 10357. 11636. 12489. VI 13388. 13397. VIII 4573. X 138. 2322. 2565. 2936. XII 2699. 2712. 5416. XIV 2526. Rev. arch. 1903 II p. 450 n. 291; cf. etiam CIL VI 14578 = Buech. 502: *Manes inferni.* CIL VI 33904 = Buech. 1251: *Manibus infernis*; simplex formula *dis inferis sacrum* raro occurrit ut VI 5008. 5683a. 7800. 13143. 16616. 34284; cf. V 1071 *aram deum inferum.*

Ac Romani cum hominem potestati deorum inferorum tradituri erant, sine discrimine deos Manes vel deos inferos invocabant[1]).

Quae cum ita sint, a Romanis priscis alienissimum fuisse patet Manes esse defunctorum animas putare; id quod et alia docent et tituli, quos afferam in proximo capite, cum de Genio et Iunone dicam. Cuius rei testimonia certa sunt verba quoque et formulae, quae saepius occurrunt praecipue in carminibus epigraphicis; ut exempla enumerem:

CIL II 2255 (a. 19 a. Chr. n.): *dei Manes receperunt.* II 4427 = Buech. 542: *Manes si saperent, miseram me abducerent.* VI 2160 et 9663: *d(is) M(anibus) in hoc tumulo iacet corpus exanimis, cuius spiritus inter deos receptus est.* IX 175 = Buech. 1572: *quem di Manes properarunt eripere immaturum.* X 6608: *d(is) M(anibus) spirit. b(ono).* III 754 = Buech. 492, 7: *qualis enim fuerit vita, quam deinde pudica, si possem effari, cithara suadere ego Manes.* XI 3276 = Buech. 552: *corpus mors rapuit, animam dereli[nquite] Manis.* Buech. 972 = CIL VI 28810 et 34185: *aspicerem addictam Manibus ire sacreis.* VI 6986 = Buech. 1034: *me potius Manes rapuissent Ditis avari.* VI 7886 = Buech. 1143: *molliter ad matrem placidi descendite Manes.* VI 19874 = Buech. 1224: *quem quoniam Manes ut alumnum di rapuerunt.* III 729 = Buech. 1485: *si fortuna suos potuisset*

---

1) Steuding l. c. II 243.

flectere Manes, hunc titulum patri ponere debueram. VI 30153: *vel vos, o Manes, mihi . . . . ronius . . . .*[1])

Itaque deos Manes sub terra communem sedem incolere Romanis persuasum erat; quo spectant hi tituli: CIL VII 250 = Buech. 395: *Secreti Manes, qui regna Acherusia Ditis incolitis.* III 6414 = Buech. 588: *iam securi suo gaudete munere Manes Elysios per campos et dulcia prata vagantes.* Buech. 1200: *quod si qua ad Manes poterit descendere fama.* VI 10764 = Buech. 1535 a: *set non hic Manis nec templa Acherusia visit.*[2])

Sed patet deos Manes, quippe qui sint dei inferni quodammodo pertinere ad sepulcra, quae non modo in eorum tutela, sed etiam eorum propria esse Romani putabant. Huius rei testimonia non sunt rara. CIL VI 20055: *posui dis Manibus.* V 2915: *hunc locum monimentumque diis Manibus do legoque.* XII 3619 = Buech. 579: *Hoc monimentum maesoleumque monimentorum caussaque paratum Manibus addictum.* V 3634: *dis Manibus locus assignatus.* III 191: *dedicavit monumentum suum in sempiteruum diis Manibus.* VIII 9080 = Buech. 592: *Manibus hoc sacrum certa pietate resolvo*; idem VIII 9192 = Buech. 594 et VIII 9081 = Buech. 593. II 2713. 5735. 5738: *d(is) M(anibus) m(onumentum).* II 5705. 5742: *d(is) M(anibus) m(onumentum) p(osuit).*

Unde sequitur, ut interdum sepulcrum ipsum locus sacer vel consecratus dis Manibus dicatur, ex. c. CIL XII 5112: *sacrum deum Manium.* V 7747: *intra consaeptum maceria locus deis Manibus consacratus.* VI 5176 et XIV 1190: *D(is) M(anibus) locus consacratus.* VI 13534: *locus sacer.* VIII 9127 = Buech. 517 (saeculi tertii): *hunc*

---

[1]) cf. etiam CIL VI 10192: *dis iniquis qui rapuerunt animulam.* X 6620 = Buech. 970: *cum ad mortem matris de gremio rapior.* V 6134 = Buech. 1309: *quam ereptam terris pia numina subtraxerunt.*

[2]) cf. Verg. Aen. IV 387: *haec Manes veniet mihi fama sub imos.* Georg. I 243: *Manesque profundi.*

tumulum vobis, Manes, sacratum; cf. IX 3009 = Buech. 1280: *sacravitque deis Manibus huncinerem.* IX 3107: *dis Manibus locum consecravit.* X 1804: *sedem aeternam karissimi fili dis Manibus consecravit.* XIV 1193: *dis Manibus Iuliae Quartillae Iulius Niceforus . . . . consecravit.* XIV 1698: *d(is) M(anibus) P(ublii) Valeri(i) Apelle [con]sacravit [Ro]-manus pater.*

Qua in re facere non possumus, quin paucis verbis explicemus, quaenam vis sit huius vocabuli *consecratus.* Ac primum quidem inter omnes constat Romanos inter dedicationem et consecrationem discrimen servavisse [1]); neque enim aliter res, quae adhuc iuri humano subiectae erant, in ius divinum transferuntur, nisi iubente populo Romano ab eius magistratibus deis dedicatae sunt. Atque hae res, quae consecratione deorum factae sunt, nominantur sacrae, illae autem, quae ab homine privato dedicatae sunt, profanae manent; cf. Marcian. Digest. I 8, 6, 3: *sacrae autem res sunt hae, quae publice consecratae sunt, non private; si quis ergo privatim sibi sacrum constituerit, sacrum non est, sed profanum.* Idem de locis dicendum est. Loca quae publice dedicata sunt, sacra, quae non ex auctoritate populi Romani, sed privatim dedicata sunt, profana sunt, sed eadem religiosa [2]) i. e. religione obligata; religio autem est, ut Ciceronis verbis utar [3]), *quae superioris cuiusdam naturae, quam divinam vocant, curam caerimoniamque affert.* Iam sepulcra cum iussu populi non fere dedicari soleant, sed voluntate privata, loca sacra vel consecrata patet iniuria dici, contra religiosa [4]) esse. Neque

---

[1]) Wissowa l. c. 385 et P.-W. IV 896 sqq. 2356 sqq.

[2]) M. Kobbert, De verborum ‚religio‘ atque ‚religiosus‘ usu apud Romanos quaestion. select. (Diss. Regimont 1910) p. 4 sqq. Wissowa l. c. 385. 477 sqq.

[3]) Cic. de invent. II 161.

[4]) Saepius locus religiosus idem significat atque sepulcrum, ut CIL VI 10 411. 23 838. VII 45. X 2015; cf. etiam VI 10 412. XIV 3797.

vero quamquam sepulcrum, unde ossa defuncti ablata sunt, in locorum religiosorum numero non iam habetur[1]), tamen probari potest „ad significandam sepulcri religionem momentum afferri non tam privata dedicatione quam inferendo mortuo"[2]), praesertim cum nullum locum nisi privatim dedicatum fieri religiosum satis certum sit[3]). Sed quod sepulcra tuenda rei publicae curae non erant et tamen a commercio usuque humano remota erant, eo factum est, ut paulatim ius sepulcrale oreretur[4]), de quo ex titulis non pauca discimus.

At cum sepulcra in locis religiosis haberi numquam desita sint, ita ut homines posteriores iuris periti, ubi de locis religiosis loquuntur, his verbis semper sepulcra significent, quomodo factum sit, quaerat quispiam, ut haec interdum nominentur loca sacra vel consecrata, quod in titulis supra allatis fieri vidimus. Neque vero haec quaerenti in usu loquendi inter verba *consecrare* et *dedicare* discrimen non esse factum neglegendum est; nam ut aliae res privatim dedicatae tamen consecratae dicuntur, ita saepe sepulcra aut ea, quae in illis condita sunt; ut testimonia afferam[5]):

Cic. ad Att. XII 19, 1: *sed ineunda nobis ratio est, quem ad modum in omni mutatione .... illud quasi consecratum remanere possit;* ibid. 18, 1: *profecto illam consecrabo omni genere monimentorum.* CIL VI 16 033: *haec aedificia propria comparatà facta dicataq(ue) sunt monumenti sive sepulchrum est et ollarum quae in his aedificiis insunt et consecratae sunt religionisq(ue) earum causa.* VI 9671: *aram posuit sibi consecravit dedicavitque libertis suis posterisque*

---

[1]) Ulpian. Dig. XI 7, 2, 5. Paul. Dig. XI 7, 44. Cic. de leg. II 57.

[2]) Hoc vult Kobbert l. c. 7 sq., dissentit Wissowa l. c. 478 n. 4.

[3]) Ulp. Dig. X 3, 6, 6. XI 7, 2, 7.

[4]) Wissowa l. c. 478. Wamser, de iure sepulcrali quid tituli doceant (Diss. Gießen 1887) p. 1 sqq.

[5]) cf. Wissowa, P.-W. IV 899.

eorum. VI 3331: *aram consacraverunt*, et in titulo medio *marito consacratissimo.* VIII 8218: *aram consecravit.* VIII 9293: *maesoleum consecravit.* VIII 5846: *sub hoc sepulcro consacrati sunt.* VI 28 877 = Buech. 1036: *hoc tumulo nunc sum cineres simul, namq(ue) sacrati per matrem caram sunt positique mei.* VI 15 493 = Buech. 1129: *hic màtris cineres sola sacravimus ara.* XII 5271 = Buech 1021: *sacratam sedem ne laede viator.*

Sed sepulcra deorum Manium propria esse Romani eo facilius putare poterant, quod illos deos etiam habitare in sepulcris singulorum iis persuasum erat. Ad hanc rem pertinent tituli, in quibus sepulcrum quidem sedes deorum Manium appellatur aut similia verba leguntur: CIL VI 19 159: *dis Manibus locus occupatus.* VIII 4793: *sanctam domum d(is) M(anibus) s(acravit).* X 1122 = Buech. 1273: *haec tamen ad Manes pertinet una domus.* X 5819 = Buech. 641: *Rupe cava Manes feci nunc coniugi Paulle inque pari requie Viatorinus eligo sedem.* XI 6249 = Buech. 1302: *Ponticus huic coniux ultima dona dedit, hunc titulum, socios Manes, commune sepulcrum.* XIV 480 = Buech. 1255: *hanc aedem posuit struxidque novissima templa Manibus et cineri posteriisque meis*; cf. etiam CIL VI 21 516: *d(is) M(anibus) loci, in quo corpus ...... crematum est.* Rev. arch. 1903 I p. 324 n. 24: *haec nostris Manibus aedis erit.*

Atque etsi illarum trium formarum, quas inter titulos sepulcrales distinguendas esse supra diximus, in omnibus imperii Romani regionibus praeter Africam — ubi saepissime occurrit forma, in qua defuncti nomen in casu recto positum est — maxime invenitur ea, in qua formulam *d(is) M(anibus)* nominis dativus sequitur, tamen in multis titulis formula *DM* coniuncta est cum mortui nomine casu genetivo expresso[1]). Ex hac quidem titu-

[1]) Iam in vetustissimo titulo sepulcrali, qui dis Manibus consecratus est, genetivus legitur CIL XIV 2464: *dis Manibus sacrum L. Caecili Rufi.*

lorum specie, qua di Manes referuntur ad mortuum quendam, haud difficile cognoscitur, quae Augusti aetate Romani de illis deis cogitaverint. Neque enim discrimen esse inter *di Manes* et *di parentes* Romani iam diu senserunt, cum duorum notionum fines paulatim confusi essent.[1]) Inter haec duo in prisca religione tale discrimen fuisse quale inter *libertinus* et *libertus* sagacissime Wissowa docuit.[2]) Nam ut servum, cui dominus dedit libertatem, libertum appellas, si de patrono, libertinum, si de condicione eius publica cogitas neque quicquam significare vis nisi statum iuris, ita di parentes sunt animae defunctorum, si referuntur ad homines cognatos superstites, di Manes appellantur, si animas universe deos inferos significare vis. Quae recta esse apertissime cognoscitur ex titulo CIL VI 9659 = Buech. 1583, in quo medio legitur: *diis parentibus suis hunc lapidem posuit,* in extremo: *diis Manibus sacrum*, *homo violare noli si te moriturum putas*; cf. VI 3597: *d(is) M(anibus) parentium.* VIII 2185: *parentes Manes estote boni.* X 4255: *deis inferum parentum sacr(um).* X 5495 = Buech. 376, 4: *coleret manesque patresque.* V 3290: *dis parentibus Augustis*[3]). Di parentes commemorantur etiam in his titulis: CIL VI 29852a. V 3283—3289. Not. d. sc. 1876 p. 58, *dibus parentibus* CIL X 8249.

Sed Augusti aetate supra diximus discrimen hoc confusum esse; cf. Tac. ann. XIII 14: *infernos Silanorum Manes invocare.* CIL III 2963: *Manibus gentis suae.* Itaque factum est, ut postquam quae vis in dis parentibus fuerat in deos Manes translata est, in titulis sepulcralibus non simpliciter *dis Manibus* scriberetur, sed *dis Manibus illius (illi).*

Ergo ut di Manes primitus iidem fuerint atque de-

---

[1]) Wissowa l. c. 239.
[2]) Wissowa, Archiv f. Religionswissensch. VII (1904) p. 42 sq.
[3]) cf. Ovid fast V 442: *Manes exite paterni.*

functorum animae, tantum abest, ut maiorum fuerint animae, id est eandem vim habeant ac di parentes. Sed quibus rebus Romani eo ducti sint, ut deos Manes esse defunctorum animas putarent, satis perspicuum est. Neque enim, quoniam dii Manes in sepulcris singulorum habitare putabantur, multum aberat, quin ad ea quae his inerant transferrentur; itaque pauci tituli sunt, in quibus Manes appellantur et corpus mortui — CIL XII 3464: *L. Baebi Secund[i] ibi Manes iacent.* VI 1417 = Buech. 106: *namque opertis Manibus divina vis est.* VI 9118 = Buech. 467: *Manes placida tibi nocte quiescant.* VI 29436 = Buech. 1159: *Ummidiae Manes tumulus tegit iste simulque Primigeni vernae* — et anima eius: CIL XII 1657: *d(is) M(anibus) liberorum ac coniugibus Publici Calisti et ipsius consecratum.* VI 12087 = Buech. 611: *mei Manes.* Buech. 653: *tui Manes.* VI 24743 = Buech. 1791: *havete Manes Pontiae Dionysiae;* quin etiam eis femininum genus tribuitur: CIL V 6053: *dis deabus Manibus.* V 6710: *Manes tuae.* VI 7579: *si quac sunt Manes.* VI 18817: *ita peto vos, Manes sanctissimae.* VI 23730 = Buech. 837: *piae Manes;* confer etiam VI 10328: *diis Manibus communibus.*

Addam CIL III 191 (Beroea): *T. Flavius Iulianus veteranus leg(ionis) VIII Aug(ustae) dedicavit monumentum suum in sempiternum diis Manibus suis et Fl(aviae) Titiae uxoris suae inferisque et heredibus suis posterisque eorum;* ex quo titulo evidenter intellegitur, ubi dis Manibus mortuorum animae ipsae notatae sunt, illis opponi deos inferos necesse esse. Quam opinionem[1]) posteriore tempore ortam esse vel inde cognoscitur, quod dei plures translati sunt ad mortuum, cui est anima una.

Denique memorabile est, ut deos inferos praetermittam,

[1]) verba poetarum, quae huc pertinent, vide apud Santoro l. c. p. 22 sqq. Idem dicit de Christianis l. c. p. 10: *„I Mani divennero pei Christiani le anime dei morti. — Così si spiega ad esempiò, che in un inno al Salvatore scritto nel Medio Evo ricorre Manes in sostituzione di defunti.“*

iam alia synonyma esse, quae interdum deorum Manium loco occurrant, sicut *dis securitatis* CIL VI 2268, *dibus securis* VI 10217, *dis iniquis* VI 10192, *diis propitiis* VI 2210.

Epitheta, quibus di Manes ornati sunt, omnia enumerare supervacuum esse mihi videtur; haec enim accurate collecta sunt a Steudingio l. c. II 2319.

Quoniam ad huius capitis finem pervenimus, pauca addamus de nonnullis formulis, quae in titulis sepulcralibus mox inveteraverant et in variis locis imprimis in primo et extremo titulo poni solebant.

Non raro faciunt initium tituli formulae, quarum per totum imperium Romanum saepissime occurrit *memoriae*[1]). Quam formulam Romani tumulis inscribebant et solam et coniunctam cum variis verbis sive substantivis sive adiectivis; unde ortae sunt novae ut: *memoriae aeternae, memoriae perpetuae, diuturnae*, *memoriae et innocentiae, memoriae dulci, piae*, *pietati et memoriae, iuventuti et memoriae*; *bonae memoriae*, quam formulam saepe in titulis Christianis inveniri imprimis in Africa et in Gallia Cisalpina notum est. Neque cum ut omnes populi ita Romani quoque mortem cum somno comparare solerent, desunt verba haec: *somno aeterno* vel *aeternali, quieti, felicitati, securitati*[2]) *aeternae* vel *perpetuae, aeternitati perpetuae, requiescit in pace.*

Quae formulae ne tum quidem, cum mos titulos dis Manibus consecrandi vulgatus erat, omitti, sed etiam saepius poni solebant partim simpliciter iuxta *dis Manibus*

---

[1]) cf. Cagnat l. c. 254 n. 1: „*La formule „Memoriae" au début d'une inscription funéraire fréquente en Gaule Narbonaise, était peu usitée avant la fin du deuxième siècle ou le début de troisième.*"

[2]) CIL VI 26227 securitas dicitur mors, cf. etiam XIV 4276 *secura facta.*

partim per *et* coniunctae cum illa formula *DM.* Harum quidem formularum nullam esse priorem saeculo tertio Weynand monstravit[1]) praeter *d*(*is*) *M*(*anibus*) *et m*(*emoriae*); haec enim invenitur iam in titulis saeculo primo p. Chr. n. positis sicut CIL XII 3180. XIII 609. Illas formulas ex Gallia Narbonensi venisse conicit Weynand, cum in hac provincia et in tribus Galliis mirum quam saepe occurrant. *O*(*ssa*) *h*(*ic*) *s*(*ita*) *s*(*unt*) in titulis dis Manibus consecratis nusquam legi, contra saepissime invenitur in extremo titulo *b*(*ene*) *m*(*erenti*).

---

[1]) Weynand l. c. 193.

II

Quod iam supra leviter tetigimus singulorum animas in titulis sepulcralibus saepe Genios et Iunones appellari, idem nunc explicemus planius. Nam quis est, quem in Corpore Inscriptionum Latinarum percurrendo effugere possit, quot tituli sepulcrales in capite Genii aut Iunonis nomen habeant?

Romanos nomina Genii aut Iunonis eodem fere tempore tumulis inscribere coepisse quo deorum Manium apparet e columbariorum titulis, quorum pauci Genio aut Iunoni consecrati sunt; sicut CIL VI 4307. 5646. 5739. 5740. 6575. 7806. Qua aetate exarati sint reliqui tituli, qui Genii aut Iunonis nomina exhibent, raro definiri potest, ex. c. primi saeculi p. Chr. n. CIL VI 2128. 8434. 8958. X 1023. Titulos eiusmodi isdem temporibus eodemque modo atque titulos dis Manibus consecratos etiam in provincias transisse probabile est; hoc solum scimus, in Britannia titulum CIL VII 165 ad vallum Hadriani repertum saeculo secundo exaratum esse. Nec minus titulus CIL XIII 1735 in provincia Lugdunensi repertus ob nomen gentile Aelii saeculo secundo ortus esse videtur.

Cum verbi *Genius* veriloquium tam perspicuum sit, ut antiqui grammatici non ignoraverint[1]), optime inde proficiscamur. Genius est qui gignit, non qui ge-

---

[1]) Censorin. 3, 1: *Genius est deus, cuius in tutela ut quisque natus est vivit. hic sive quod ut genamur curat, sive quod una genitur nobiscum sive etiam quod nos genitos suscipit ac tutatur, certe a genendo Genius appellatur.*

nuit[1]), et significat vim genitalem, quae in viro unoquoque viget.[2]) Ex qua re ipsa apparet viro soli Genium esse. Atque singulis viris Genium, feminis autem singulis Iunonem esse affirmant scriptores Romani; ut exempla afferam Seneca epist. 110, 1: *ita tamen hoc seponas volo, ut memineris maiores nostros, qui crediderunt, Stoicos fuisse: singulis enim et Genium et Iunonem dederunt.* Plinius. n. h. II 16: *quamobrem maior caelitum populus etiam quam hominum intellegi potest, cum singuli quoque ex semet ipsis totidem deos faciant Iunones Geniosque adoptando sibi.*

Quam sententiam probatam a plurimis doctissimis viris, qui hodie antiquitatis Romanae studiis se dedunt, W. F. Otto falsam esse putat.[3]) Sed argumenta, quae affert, tantum abest, ut vulgarem opinionem refellant, ut etiam confirment. Nam quod Otto dicit non solum in viris esse Genium, sed etiam feminis Romanos antiquissimis temporibus idem numen attribuisse ac posterius demum Iunonem apud feminas Genii locum occupavisse, id nullo modo defendi potest.[4]) In religione enim Romana prisca et virorum et feminarum animas verbo Genii significatas esse nullo testimonio Otto arbitratur refutari posse, praesertim cum neque usquam in litterarum monumentis ante Tibullum scriptis Iunonis feminae mentio fiat et in titulis quamvis paucis Genius feminae nominetur. Ac primum quod in litterarum monumentis ante Tibullum scriptis

---

[1]) Hoc vult Paulus p. 94: *et propterea Genius meus nominatur, quia me genuit.*

[2]) Preller-Jordan l. c. I 76. II 196. Birt apud Roscherum I 1614. Cesano ap. Ruggiero, Diz. Epigr. III 449. Wissowa l. c. 175; cf. etiam Bethe, Rhein. Mus. LXII 470. Toutain, Les cultes païens de l'empire Romain (Paris 1907) I p. 439 sqq.

[3]) W. F. Otto, P.-W. VII 1156 sqq., cf. Philolog. N. F. XVIII (1905) p. 179 sqq.

[4]) Quamvis idem defendunt Ihm apud Roscherum II 615. Zielinski. Philol. N. F. XVIII (1905) p. 20.

nusquam feminae Iuno invenitur, nullius momenti est, quoniam Otto et ipse concedit ne viri quidem Genii testimonia vetustiora exstare et *Iuno Deae Diae* iam in actis fratrum Arvalium[1]) commemoratur. Deinde cum in plerisque aetatis imperatoriae titulis viri Genio Iunonem feminae respondere negari non possit, patet e paucis titulis per provincias singulas dispersis ac plerumque posteriore tempore exaratis, in quibus Genius feminae vel deae nominatur, nihil concludi posse, quod ad religionem Romanorum priscam intellegendam pertineat. Neque enim omittendum est titulorum eiusmodi, quos Otto affert, nullum Romae et in Italia repertum esse, sed ad unum omnes in provinciis. Nec minus tituli sepulcrales, in quibus feminae Genius nominatur, tam rari sunt, ut in perlustrandis titulis innumerabilibus reppererim duos: Rev. arch. XXXIX 1901 p. 449 n. 109 (Algeria) (secundum Ottonem CIL VIII 22770): *d*(*is*) *M*(*anibus*) *s*(*acrum*) *Genio Tarquiti*(*a*)*e Marcelle matri piissimae Bisfizl* (?) *Thaeafa Emilia Rusilla s*(*ua*) *p*(*ecunia*) *f*(*ecit*) *matri sanctissimae vixit annis LXI p*(*lus*) *m*(*inus*). CIL III 8120 (Viminacium): *Genis Domiti*[*ae*] *vix*(*it*) *ann*(*is*) *LX et Affuti Aristonis coniugi eius vivo Ael*(*ius*) *Domitianus Immunis lib*(*ertus*) *leg*(*ionis*) *IIII Fl*(*aviae*) *parentibus piissimis* [*p*]*osuit*. Quo in titulo a *Genis* pendent genetivi *Domitiae* et *Affuti Aristonis*, ut illo verbo et mariti et uxoris animae significentur, id est verba inter se eo modo coniuncta sunt, quem grammatici *ἀπὸ κοινοῦ* nominant. Atque ut in sermone Latino ubi subiectum constat e personis sexus et masculini et feminini, praedicatum masculinum sexum sequitur, ita in hoc quoque titulo Genii nominantur animae et viri et feminae.

Sed ut ex his titulis nihil certi effici potest, ita alia quoque argumenta, quibus Otto sententiam suam confirmare studet, non sunt idonea quae eius sententiam firment. Nam quod legionibus et centuriis et provinciis similibus-

---

[1]) Henzen, Acta fratrum Arvalium (Berolini 1874) p. 144

que Genius attribuitur, non grammaticum genus, sed sexum hominum, quorum congregatio illis verbis significatur, momentum fecisse patet[1]. Nec magis mirum est, quod Servius (Aen. VIII 696) scripsit: *Isis autem est Genius Aegypti*, cum illis verbis nil nisi Aegyptum in Isidis tutela esse indicetur, ut in multis titulis loci Genius nominatur[2]. De clipeo Capitolino, cui inscriptum erat: *Genio urbis Romae sive mas sive femina* (Serv. Aen. II 351) vide quae Wissowa l. c. 179 disputavit; cui addam cum verbis *sive mas sive femina* significentur omnes homines, qui in urbe habitant, nos posse substituere in locum illorum verborum: Genio omnium hominum (et virorum et feminarum), qui Romae habitant; quae cum ita sint, patet hic eodem iure quo in titulo CIL III 8120, quem supra attulimus, Genium et viris et feminis attributum esse. Denique Natalem non esse cognomen Genii Otto contendit, sed duo verba idem significare atque in die natali viros invocavisse aut Genium aut Natalem, feminas autem Iunonem Natalem. Sed e versibus Ovidii (trist. V 5), ubi Natalis in feminae die natali ad aram vocatur, evidenter mihi videtur apparere Natalem primo epitheton non minus Iunonis quam Genii fuisse, deinde ex hoc numen proprium factum esse.

Itaque facere non possumus, quin pro certo habeamus verba Genii et Iunonis inter se eadem ratione contineri, qua viri et feminae verba[3].

Hominibus igitur singulis Genium et Iunonem esse, viro Genium, Iunonem feminae[4] Romanis persuasum

---

[1]) Wissowa l. c. 182 n. 2.

[2]) de Geniis loci, coloniae, legionis vide Cesano apud Ruggiero l. c. p. 462 sqq.

[3]) Domaszewski, Abhdl. z. Röm. Religion (Leipz. u. Berl. 1909) p. 169. Schmidt, Geburtstag im Altertum (Gießen 1908) p. 22 sq.

[4]) cf. CIL III 11312 herma cui inscriptum est: *Iuno Florae Scaptinae.*

erat, atque ut viri per Genium suum aut domini iurabant, ita feminae per Iunonem[1]).

Genium et Iunonem diversos esse ab hominibus docent hi tituli, in quibus illi ab his satis clare distinguuntur:

CIL VI 23 941: *d(is) M(anibus) M. Perpenna Felix posuit sibi et Genio suo et coniugi suae, que vixit mecum annis XV m(ensibus) III d(iebus) XV.* CIL VI 24 153: *d(is) M(anibus) Phoebadi et Iunoni heius animae dulcissimae.*

Quae numina etsi ab hominibus distinguuntur ab iis tamen per totam vitam non separantur[2]) eosque morientes sequuntur[3]). Neque tamen intereunt, sed rebus humanis excedunt. Unde minime sequitur hos defunctorum Genios et Iunones eosdem esse atque deos Manes, quae sententia esse Ottonis videtur certeque defenditur a Birtio (Roscher I 1618). Immo vero Genii et Iunones, quae numina ita distinguenda esse a dis Manibus ut animam singularem a maiorum animis id est dis parentibus mihi persuasum est, ita quidem excedunt rebus humanis, ut nihilominus post hominum mortem apud inferos[4]) vitam agant propriam, ut verbis Georgii Wissowa[5]) utar: „(erscheinen) sozusagen als eine Fortführung der persönlichen Existenz des Verstorbenen im Jenseits.“ Cuius rei testimonium est titulus, in quo e verbis *Iunoni eius* post mulieris nomen positis eandem mortuam esse intellegitur, CIL V 160 (Pola): *C. Fannius Psalmus sibi et Fanniae*

---

[1]) Tibull. III, 6, 48; IV 5, 8; IV 13, 15. Petron. 25. Seneca epist. XII 2. Charis. p. 198, 18 K. *eiuno.*

[2]) Censorin. 3, 5. Horat. epist. II 2, 187. Seneca epist. 110, 1. Mart. Cap. II 152. Amm. Marcell. XXI 14, 3. Apul. de deo Socratis 15.

[3]) Censorin. 3, 5. Horat. epist. II 2, 188: *naturae deus humanae mortalis* (cf. Wissowa l. c. 176 n. 4).

[4]) Huc non attinet lucerna sepulcralis, quam Birtius affert: *Helenius suom geniom nib (dis) inferis mandat,* cum Henricus Dressel, qui denuo titulum descripsit, legerit: *suom nomen eimferis,* vide CIL XV 6265.

[5]) Wissowa l. c. 176.

C. l(ibertae) Noe Iunoni eius Fanniae Priscae lib(ertae) v(ivus) f(ecit).

Itaque factum est, ut titulorum sepulcralium, qui Genio aut Iunoni alicuius consecrati sunt, non mediocris numerus ad nos pervenerit. Quamquam cum eadem nomina in titulis permultis occurrant et sacris et honorariis, discernere, cui generi titulus tribuendus sit, saepe difficillimum est.

Ac primum quidem affero duodecim titulos, in quibus Genius vel Iuno alicuius hominis simul cum dis Manibus commemorantur (cf. supra p. 20).

CIL VI 8434: *Deis et Genio Rhodonis Domitiae Aug(ustae) servi exactor(is) hered(itatum) legat(i) peculior(um) vix(it) ann(is) p(lus) m(inus) XXIIII Rhodinus fratri optimo piissimo et gemino sibi fecit.* Hic *Genio* cum nominis genetivo coniunctum est, et *deis* praecedit. Qui Rhodo, quem servum Graecum fuisse ex nomine discimus, gratia dominae florens ad condicionem honestam ascendit.

Iam addam duos titulos, quorum alter vernae decem annorum a domina positus est, alter infanti libertinae novem mensium a patre; in utroque titulo formula *DM* anteit verbum *Genio* aut *Iunoni.*

CIL VI 22322: *d(is) M(anibus) Genio Maximi vixit an(nis) X m(ensibus) II. Licinia Arethusa vern(ae) carissim(o).*

Not. d. sc. 1906 p. 146 (Roma): *d(is) Manibus Iunoni Successae Verusiae Priscae l(ibertae) animae optimae et dulcissimae fecit Timon vixit menses VIIII.*

Defuncti condicio vitae deest in titulis his:

CIL VI 11429: *P. Alfeno Hypano Genio et dis Manes Thoria Gemella fecit.*

CIL IX 5794 (Pausulae): *d(is) M(anibus) M. Antoni M(arci) f(ilii) Earini et Genio eius Antonia Terpsicore et Earinus parentes miserrimi filio piissimo.* Qui videtur iuvenis mortuus esse, unde facile intellegitur, cur vitae condicio vel officium non indicetur.

Qua necessitudine tituli auctor cum mortua coniunctus sit, ex hoc quoque titulo apparet:

CIL VI 24745: *Iunoni d(is) M(anibus) Pontiae Gnesiae coniugi karissim(ae) et sanctissim(ae) L. Pontius Horaeus.*

Praeter nomen mortui in duobus titulis indicatur, ad quam aetatem ille pervenerit:

CIL VI 7807: *diis Manibus Lucius Iulius Proclus Luci filius vixsit annos VII menses III Genio uius.*

CIL VI 15157: *Genio dis Manibus Ti. Claudio Mystic(o) vix(i)t ann(is) XXX.* In spatio, quod inter verba *Genio* et *dis Manibus* est, figura imberbis exsculpta est, in lecto recumbens scyphumque sinistra sustinens, dextra sertum. Qua figura effigiem mortui expressam esse facile credas.

Reliqui tituli magis contracti sunt:

CIL VI 4307: *dis Manibus Genio C. Iuli Nicero[tis].*

CIL VI 22196: *dis Manibus Genio L. Mari Dextri.*

CIL VI 22523: *d(is) M(anibus) Genio L. Minici Celeris.*

CIL V 246 (Galesani): *Manibus et Genio P. Vatri Severi.*

Plerumque *Genio* sequi *dis Manibus* et cum nominis genetivo coniunctum esse vidimus, semel in extremo titulo *Genio uius* id est *eius* legitur; bis *Genio*, semel *Iunoni* anteit formulam *DM*; ter nomen in dativo positum est, semel in recto casu, sed formula *DM* cum nominis genetivo non coniuncta est nisi IX 5794.

Denique non est praetermittendus titulus, in quo *di parentes* coniuncti cum *Genio* occurrunt, CIL VI 29109: *dis parentium et Genio Vituli fecit mater f(ilio) piissimo.*

Iam progrediamur ad titulos sepulcrales, qui Genio aut Iunoni alicuius hominis solis consecrati sunt. Exordiamur igitur ab amplissimis titulis:

CIL VI 9005: *Genio Coeti Herodian(i) praegustator divii Augusti idem postea vilicus in hortis Sallustianis decessit non(is) Augustis M. Cocceio Nerva C. Vibio Rufino co(n)s(ulibus)* (a. 22 p. Chr. n.). *Iulia Prima patrono suo.*

Cui adiungendus est titulus Iunoni consecratus, quem Dorcadi libertae Iuliae Augustae imperatoris Titi filiae maritus idemque collibertus Lycastus fecit:

CIL VI 8958: *Iunoni Dorcadis Iuliae Augustae l(ibertae) vernae Caprensis ornatricis Lycastus conlibertus rogator coniugi carissimae sibi.*

Eiusdem Iuliae Augustae serva commemoratur

CIL X 1023 (Pompeii): *Iunoni Tyches Iuliae Augustae Vener(iae).*

Praefecto statorum a cliente positus est titulus

CIL XIII 4291 (Mediomatrici): *Genio C. Aur(elii) Materni pref(ecti) stat(orum) q(uaestoris) c(ivitatis) M(ediomatricorum) Cathirig(us) Delficus cliens.* Cum hic titulus inscriptus sit tabulae marmoreae repertae in maceria, quae alia quoque marmora continet, sepulcralem esse puto.

Aliter res se habet in titulo CIL VI 9385: *C. Asini C. l(iberti) Felicis fabri Genio.* Si hic Asinius idem est atque is, qui nominatur in titulo CIL VI 9396: *C. Asinio Fe[lici] fabro baln[ea]tori vixit annos XXXIV*, illum titulum honorarium esse confido, quoniam titulus Asinii sepulcralis exstat in VI 9396.

Sacerdoti Vestali, quae annos sexaginta quattuor nata de vita decessit, ab eius liberto Actio positus est titulus CIL VI 2128: *Iunoni Iuniae C. Silani f(iliae) Torquatae sacerdoti Vestali annis LXIIII caelesti patronae Actius l(ibertus).*

CIL VIII 1140 (Africa, provincia proconsularis): *Iunoni Sallustiae M(arci) f(iliae) Lupercae sacerdot(i) Cer(eris)*; qui titulus Cereris sacerdoti positus utrum honorarius an sepulcralis sit, in dubio relinquitur.

Ex omnibus titulis, quos adhuc attuli, discimus, quo officio mortuus per vitam suam functus sit; quod officium ei fuerit, qui titulum posuit, memoramus non dici nisi CIL V 8958. Cui adiungam titulum a vilico positum:

Rev. arch. XLI 1902 p. 453 n. 223 (El Haria): *Genio Salti Bagatensis M. Pacci Victoris Rufini et Maritimae et M. Pacci Rufini Saltus Speratus vilicus.*

Flaminicae mentio fit in titulo CIL V 6954 (Taurini): *Iunoni Tulliae C. f(iliae) Vitrasi flaminicia Iulia August(a) L. Arrenus L(uci) l(ibertus) Faust[us].* Neque in hoc titulo omittendum est ablativo *Iulia Augusta* significari, qua in urbe flaminica vitam egerit; Taurinorum enim colonia appellatur Iulia Augusta; *flaminicia* errore lapicidae scriptum esse mihi videtur pro *flaminicae.*

Sed hi tituli num sepulcrales sint certo diiudicari non potest, praesertim cum ignoremus, quae fuerit forma lapidum, quibus inscripti sunt.

In compluribus titulis quo munere vel officio mortuus functus sit non commemoratur, sed praeter mortui et eius, qui titulum posuit, nomina indicatur, qua necessitudinis coniunctione illi inter se usi sint. Neque mirum, quod necessitudinis gradus occurrunt varii.

Sic maritus coniugi titulum posuit:

CIL VI 35043: *Iunoni Corneliae Feliculae C. Vibius Longinus coniugi.*

CIL VIII 10006 (Africa): *Iunoni Crepereiae P(ublii) f(iliae) Plariliae sacrum . . . . Fabius . . . . ta Iulianus Deius Saturninus . . . . uscianus uxori rarissimae et pudicissimae.*

Servus contubernali:

CIL VI 5646: *Iunoni [C]laudiae Provinciae vix(it) a(nnis) XXII Nostus contubern(alis) posit.*

Filia matri, quae natione Graeca fuisse videtur:

CIL VI 21423: *Iunoni Liviae Euches Lacaena Attalie matri.*

Libertina filio:

CIL VI 21041: *Genio Q(uinti) n(ostri)* — sequuntur duo lineae parvo spatio divisae — *Laelia Phoebe Q(uinto) Asinio Heriano mater infelicissi(ma) fil(io) fecit pio.*

Mater, cuius nomen non indicatur, filio, qui iuvenis mortuus est:

CIL VI 22779: *f(ecit) m(ater) Genio P(ublii) Mutili Marulli vix(it) ann(is) XVII.*

Mater filiae:

CIL VI 15471: *Mamma fecit Claudiae Hygiae Iunone.*

Servus fratri:

CIL VI 23464: *Genio Onesimi Hermes fratri pientissi(mo).*

In memoriam amici:

CIL V 7514 (Aquae Statiellae): *Genio Asiatici L. Ennius Secundus et Super(us) et Ter(tius) fili amico optimo.*

Sorori fratres:

CIL XI 4145 (Narnia): *Rutiliae Victorine Iunoni sacrum fratres pientissim(i) fecerunt.*

Huic loco adiungam tres titulos, qui etsi continent solum mortui nomen, tamen quam aetatem ille inierit indicant:

CIL VI 7806: *Genio L. Iulio L(uci) f(ilio) Magno vixit annis XV mesibus VI dieb(us) XX.*

VI 20237: *Genio C. Iuli Augustae l(iberti) Prosòpae delicii ipsius et Liviae Drusi Caesaris vix(it) ann(is) IX.*

VI 21920: *Genio P. Manili Pamphili vix(it) an-n(is) LXX.*

In magno titulorum numero nomina mortui eiusque, qui titulum posuit, sola inveniuntur, interdum condicio vitae additur. In his quidem titulis, qui necessitudinem inter mortuum et tituli auctorem intercedentem non indicant, utrum honorarii sint an sepulcrales discernere difficillimum est. Nam etiamsi tituli in columbariis reperti originem sepulcralem certo indicant atque e forma lapidum, quibus tituli inscripti sunt, interdum utrius generis illi sint concludi potest, tamen non de omnibus titulis ad certum indicium pervenire possumus; quis enim audeat affirmare, ubicumque titulum hermae inscriptum invenit, eum honorarium esse; aut quicumque titulus in cippo vel columna vel tabula marmorea legitur, eum pro sepulcrali haberi necesse esse. Nimirum titulos libertinis vel servis positos maiore iure putabimus sepulcrales esse quam eos, quos libertini et servi civibus Romanis, praecipue dominis

suis exaraverunt; quos verisimile est honorarios esse, sicut CIL V 6502 (Novaria): *Genio T. Attilii Vibiani Clarus libert(us).* Not. d. sc. 1904 p. 40 (Mediolani): *Genio C. Atti C. f(ilii) Nigri C. Attius C. l(ibertus) Murranus VI vir senior.*

Addam CIL XI 3573 (Castrum novum): *Iunoni Historiae Telephus et Priscus l(iberti) d(onum) d(ant).* Qui titulus invenitur in herma, cui deest caput; alii Historiam Musam intellegunt, alii mulierem.

CIL V 7142 (Gallia Cisalpina): *Genio M. Cassii M. Satrius Vitulus h(onoris) c(ausa).* Etsi in verbis *h(onoris) c(ausa)* ipsis non offendimus, cum saepius legatur in sepulcris *honori* vel similia, hunc titulum hermae inscriptum habeam pro honorario.

Neque dubitari potest, quin tituli in Gallia Narbonensi et Cisalpina reperti, in quibus post mortui nomen legitur *n* id est nostri vel nostrae, honorarii sint, praesertim cum hi tituli uno excepto (CIL XII 3053) a libertinis et servis exarati sint et satis constet a libertinis quidem et servis dominum et patronum vocari praenomine, cui verbum *noster* adiungi solebat. Huc accedit, quod e forma lapidum, quibus tituli inscripti sunt, idem apparet. Plerique enim inveniuntur in hermis, sed imprimis notatu digni sunt tituli CIL XII 3055 et 3066, quorum prior est inscriptus termino, alter stelae in amphitheatro repertae.

Reliquos titulos nomina mortui eiusque, qui titulum posuit, sola exhibentes, quos habendos esse pro sepulcralibus puto, nunc afferam. Ac primum quidem titulos Romae repertos:

VI 15675: *Iunoni Cleopatrae L. Ser(vius) Alexander b(ene) m(erenti) f(ecit).*

VI 18892: *Genio Gavini f(ecit) Sanvitto l(ibertus).*

VI 19362: *Herma de suo dat*

Genio Canonis	*Genio Pasiclenis*
Attali liberti	*Attali servi.*

In provinciis imperii Romani reperti:

CIL V 5216 (ad lacum Larium): *Genio Asc. P. Plinius Burrus et P. Plinius Paternin[us]*; quid *Asc.* sit, obscurum est.

V 7596 (Alba Pompeia): *Genio C. Petroni Rufi parentes.*

VII 165 (Deva): *Genio Averin(i) Iul(ius) Quintilianus.*

XII 5424 (Gallia Narbonensis): *Hilarus Ge . . . . Genio Quinti.*

Denique addam titulum obscurum, qui Cordubae repertus est:

CIL II 2192 (Corduba): *Genio Q. Ru[f]ilius L(uci) f(ilius) C. N. . . . . . ex arg(enti) p(ondere).*

Restant tituli, in quibus sola mortui vel mortuae nomina partim in genetivo partim in dativo posita inveniuntur. Non habemus, quod hos titulos sepulcrales esse negemus, praesertim cum non raro libertinorum nomina occurrant et plerique tituli tabulis marmoreis inscripti sint. Huc accedit, quod titulis honorariis ab Augusti aetate nomen eius, qui titulum posuit, inscribi solebat[1]. Itaque ob tantam brevitatem, quanta in titulis honorariis non erat usitata, in sepulcralium numero hos titulos puto habendos esse. Quos ita enumerabo, ut primo loco urbanos, deinde qui in Italia, denique qui in provinciis imperii Romani reperti sunt, referam.

I. Tituli urbani:

CIL VI 5739: *Genio L. Corneli Hilarionis.*
VI 5740: *Iun(oni) Saturninaes.*
VI 6575: *Iunoni Statiliae Polynoes.*
VI 11584: *Genio Ampliati.*
VI 15502: *Iunoni Claudiae Liviae l(ibertae) Melpomene.*
VI 15905: *Genio Coccei Hermetis.*
VI 16374: *Iunoni Corneliae D . . . . . es.*
VI 18922: *Iunoni Gaviae Albanae sacrum.*

---

[1]) Cagnat l. c. p. 232.

VI 20385: *Iunoni Iuliae Aufidenae Capitolinae sacrum.*
VI 25554: *I(u)noni Rubriae Victorinae.*
VI 25918: *Genio Saturni[ni].*
VI 35953: *Iunoni Nymphes.*

II. Tituli in Italia reperti:

X 1009 (Pompeii): *Melissaeae Amyces Iunoni.*
X 4258 (Capua): *Genio Ofilli Rufi.*
X 6597 (Velitrae): *Iunoni Cales.*
Eph. ep. VIII 103 (Beneventum): *Iunoni Veridicae.*
CIL XI 818 (Mutina): *Genio Q. Laeli Eutychi b . . . . b.*

III. Tituli in provinciis reperti:

CIL II 1433 (Sabora): *Turri Genio.*
V 2212 (Altinum): *Genio P. Caesi Terminal(is).*
V 7236 (Segusio): *Geni[o] Tib. Clau[di] . . . Quir(ina) Iu . . . . . dec(urionis) II v[iri]. Val. in.*
V 7532 (ad Bormidam et Belbum): *Gen(io) Petron(i).*
VIII 2607 (Lambaesis): *Genio C. Iul. Fav.*
XIII 567 (Burgidala): *Iunonibus Iuliae et Sextiliae.*
XIII 1736 (Lugdunum): *Genio Claudi Myronis.*

Quorum titulorum condicionem vitae exhibent VI 15502. V 7236. Iam addam titulum, quem etsi Iunoni consecratus est tamen formula *memoriae* occupavit:

CIL XI 4718 (Tuder): *Memoriae Iunonis Titiae Hesperidis matris pientissimae.*

Porro cum bini vel complures homines uno sepulcro condebantur, unum Romani solebant ponere titulum. Itaque fit, ut in eodem titulo, ubi mortui utriusque sexus sepulti sunt, verba *Genio* et *Iunoni* alterum post alterum non raro posita sint, utrumque cum nomine alicuius personae coniunctum. Atque ex quattuor eiusmodi titulis, quos collegi, unus excipiendus est, in quo Genii mentio communiter et ad virum et ad feminam pertinet Iunonis nomine omisso (cf. CIL III 8120 supra p. 31):

CIL VI 18065: *[Fl]avius Felix fecit Genio Primige[n]i vix(it) ann(is) XVII et [Fl]aviae Primigenia[e] et ius in monumento ap. columbaria V.*

V 6950 (Taurini): *G(enio) C. Enni Vibiani et Iun(oni) Lartid(iae) Priscinae M. Vibius Marcellus.*

VIII 3695 (Lambaesis): *Genio mitissimi amantissimiqu(e) coniu(gis) et Iunoni suae Horatia Q(uinti) fil(ia) . . . . . . ria faciendum cura[vit] L. Spellati Saturnini.*

XIII 1735 (Lugdunum): *Genio P. Ae[l]i Sereni IIIIII vir(i) Aug(ustalis) Lugud. et Iunoni Orbiae Helladis C. Iulius R[e]spec[t]us amicis optimis de suo fecit.*

Denique afferam tres titulos, in quibus inveniuntur nomina Pudicitiae et Verecundiae. Quae numina cum non sint nisi summae virtutes mulierum in personas conformatae, in his titulis pro Iunone posita esse ab omnibus probatur; itaque illi tituli huic loco asserendi sunt.

X 5739 (Sora): *d(is) M(anibus) Pudicitiae Magiae Marinianae [fil.] Magius Fas . . . . . us O . . . . . ti . . . . .*

X 6351 cf. add. (Tarracina): *Pudicitiae Caeciliae Q(uinti) f(iliae) Metrodorae . . . . . us coniugi et parentes fecer(unt).*

XIV 1792 (Ostia): *Iunoni et Verecundiae Ulpiae Compses q(uae) v(ixit) a(nnis) VI m(ensibus) VI d(iebus) VII M. Ulpius Aug(usti) lib(ertus) Eutropus pater.*

Quoniam omnes titulos sepulcrales Genio aut Iunoni consecratos, qui ad nos pervenerunt, enumeravimus, plerosque horum titulorum notandum est ex inferioribus ordinibus, paene dixi ex infima plebe, originem ducere. Neque nos fugit etsi civium Romanorum nomina — senatores non commemorantur, equites aliquoties — non raro occurrunt, tamen longe maximum titulorum numerum a libertinis et servis aut certe a peregrinis positum esse. Quae cum ita sint, titulos CIL V 5869. 5892. 7468 non ut sepulcrum ornarent esse factos, sed potius esse honorarios

mihi persuasum est[1]). Nam quamquam formula *Genio et honori* tumulo inscripta per se nihil offensionis habet, tamen quisquis horum plenitudinem et copiam comparaverit cum brevibus contractisque titulis, quos supra enumeravi, facile in dubitationem incidet, num hi tituli habendi sint pro sepulcralibus[2]). Sed ut iudicare liceat, num haec sententia recta sit, illos tres titulos, etsi honorarios esse confido, tamen describam:

CIL V 5869 (Mediolanium): *Innocenti cum Encratio vivas. Gen(io) et hon(ori) Magi Germani Statori Marsiani eq(uitis) R(omani) eq(uo) p(ublico) dec(urialis) dec(uriae) V ex (centuria) coll(egii) fabr(um) et centon(ariorum) curator(is) ark(ae) Titianae coll(egii) s(upra) s(cripti) anni CLI colon(iae) Ga(llienianae) F(elicis) Med(iolani) et Iunoni Cissoniae Aphrodite eius (centuriae) XII ex coll(egio) s(uprà) s(cripto) patronis plura merentibus. Innocenti qui sic agas bene vivas.*

V 5892 (Mediolanium): *Gen(io) et [h]on(ori) P. Tutili Callifontis VI vir(i) sen(ioris) patr(oni) (centuriarum) XII coll(egii) aerar(iorum) c(oloniae) A(?) A(ugustae) M(ediolani) neg(otiatoris) stip(is) arg(entarii) splendid(issimi) et Iun(iae) Publiciae C. f(iliae) Pomponiae [s]t(olatae) coniug(is) eius et Iun(iae) Tutiliae P. f(iliae) Pomponian(ae). Constantii vivatis. L. Romatius Valerian(us) et Vocatia Valeria cum filis clientes.*

V 7468 (Industria): *Genio et honor(i) L. Pompei L(uci) f(ilii) Pol. Herenniani eq(uitis) Rom(ani) eq(uo) pub(lico) q(uaestoris) aer(arii) p(ublici) et alim(entorum) aedil(is) II viro curatori kalendarior(um) rei p(ublicae) collegium pastophorum Industriensium patrono ob merita. Ti. Grac. Trophimus Ind(ustriensis) fac(it).*

---

[1]) dissentit Ihm apud Roscherum II 616, qui V 5869 esse sepulcralem putat.

[2]) cf. etiam V 4449, quem titulum esse honorarium nemo negat.

Ergo ad huius capitis finem progressi Genii et Iunonis religionem vidimus non Roma et Italia finitam esse, sed patriae fines transgressam in provincias etiam extremas invasisse. Quae religio quantopere increbuerit, iam inde intellegitur, quod in Britannia et in Germania tituli Genio consecrati reperti sunt. Quod tituli Iunoni consecrati tot quot Genio consecrati non exsistunt — in Britannia, Hispania, Illyria desunt tituli eiusmodi — nemo mirabitur, si modo mulieres apud antiquos per totam vitam egisse partes secundas meminerit.

III

Sed Romani imperatoriae aetatis, ut Graecorum exemplum secuti vitam ulteriorem plenam esse voluptatum, quas Liber hominibus donat, credebant atque in monumentis saepe effingebant, quaevis ad eiusmodi opiniones pertinent[1]), ita etiam mortuos cum dis immortalibus conparandi aut aequandi morem a Graecis receperunt. Quod quidem primo non distincte et definite, sed quasi anxie et dubitanter fecerunt[2]). Primum autem titulum Latinum, in quo homo privatus consecratus est, Flaviorum imperatorum aetate ortum esse Buecheler affirmavit. In hoc carmine (CIL VI 21521 = Buech. 1109) narrat poeta mortuum sibi in somno apparuisse eundemque haec verba fecisse:

adfinis memorande quid o me ad sidera caeli
ablatum quaereris? desine flere deum,
ne pietas ignara superna sede receptum
lugeat et laedat numina tristitia,
non ego Tartareas penetrabo tristis ad undas
non Acheronteis transvehar umbra vadis,

ac pergit paucis versibus intermissis similibus:

nam me sancta Venus sedes non nosse silentum
iussit et in caeli lucida templa tulit.

---

[1]) Stephani, Der ausruhende Herkules, Mémoires de l'Academie de Pétersbourg Série VI sciences pol. hist. phil. VIII (1855) p. 289 sqq. Petersen, Annali dell' Instituto archeol. 1860 p. 358 sqq. Marquardt-Mau, Privatleben der Römer (Leipz. 1886) I 365. B. Schröder, Studien zu den Grabdenkmälern der röm. Kaiserzeit. Bonner Jahrb. 108/9 (1902) p. 55 sq.

[2]) Huius rei testimonia affert Schröder l. c. p. 61 n. 3.

Poeta, cuius animus admirationis, timoris, gaudii plenus est, exterretur, sed dubitat, cum quo deo mortuum aequet:

sed quicumque deus, quicumque vocaber[*is heros*]
sit soror et mater, sit puer incolu[*mis*].
haec dona unguentis et sunt potiora c[*orollis*],
quae non tempus edax, non rapi[*t ipse rogus*].

Sed etiamsi ille mortuum cum deo singulari aequare veritus est, hic timor mox depositus est. Iam legamus, quod Apuleius (metamorph. VIII 7) de illa re scripsit. Qui cum uxorem coniugis morte vehementer percussam esse narraverit, pergit: *et dies totos totasque noctes insumebat luctuoso desiderio et imagines defuncti, quas ad habitum dei Liberi formaverat, affixo servitio divinis percolens honoribus ipso sese solatio cruciabat.*

Huic loco asserendus est titulus in urna sepulcrali urbana repertus, qui etsi Graeca lingua scriptus est tamen ob nomen Romanum ab hoc contextu non abhorret. IG XIV 1990 = Kaibel epigr. 705:

Σατορνῖνος ἐγὼ κικλήσκομαι, ἐκ δέ με παιδὸς
εἰς Διονύσου ἄγαλμ᾽ ἔθεσαν μήτηρ τε πατήρ τε.

Mortui figuram ad speciem Liberi expressam esse ex his testimoniis solis discimus, cum in monumentis, quae ad nos pervenerunt, figura eiusmodi non inveniatur. Sed saepe occurrit figura Veneris, quam mortuae vultus gerere partim aperte dicitur partim e tituli contextu facile intellegitur.

Michaelis Anc. sculptur. in Britain p. 492 Lowther Castle Nr. 42 (Roma): mulier ad Veneris modum maxima ex parte nuda exsculpta est.

CIL X 5381 (Ausonia): *dis Manibus;* subter Venus nuda iacet cum Cupidine. Titulo deleto maximam partem tamen non dubium est, quin hoc tumulo mulier, quae cum Venere aequata est, condita fuerit.

CIL XI 433 (Ariminum): *d(is) M(anibus) Aemiliae Irene quae vixit ann(is) XXVI diebus XIIII Aurelius Eutyches stupidus greg. urb. coniugi karissima[e].* Figuram, quae supra titulum stat, non esse puerum, sed Venerem Dütschke affirmavit[1]. Idem sub huius deae specie Aemiliam Irenem ipsam expressam esse monuit.

CIL XIV 610 (Ostia): *d(is) M(anibus) Arriae P. f(iliae) Maximinae statuam Veneris infelicissimi parentes filiae dulcissimae vix(it) ann(is) XV m(ensibus) XI d(iebus) XI h(oris) III.*

CIL VI 5135: *Dis . . . Phra . . . Atrat . . . Vene . . . kariss . . . fec . . .* Qui titulus etsi tam corruptus est, ut eum numquam plane suppleri posse putem, tamen mortuam cum Venere aequatam esse facile conicitur, praesertim cum in sinistro lapidis latere Veneris figura inveniatur.

CIL VI 17019: *Domitiae Lupercae Domitius Vitalio maritus dulciss(imae)*; super titulum mulier inter duos Cupidines iacet. Quam mulierem esse Venerem mortuae vultus gerentem probabilissime conicitur. Nam Cupidines notissimi Veneris comites sunt.

Neque dubitandum est, quin in his tribus titulis, in quibus infantes Cupidini similes commemorantur, infantes cum Cupidine aequati sint. CIL VI 27383 = Buech. 1061: *quae speciem voltus habuitq(ue) Cupidinis artus.* CIL VI 35769: *hic fuerat simil[i]s roseo Cupidin(i) [vultu].* CIL XIII 6808 = Buech. 1590 (Mogontiacum): *Cupidinis os habitumque gerens.*

Sub Fortunae specie mortua videtur fuisse efficta CIL VI 23360: *Octaviae Severae L. Oct(avius) Alex(ander) fec(it)*; supra titulum stat figura Fortunae.

Effigies mortuae ad speciem Dianae expressa invenitur in ara magna marmorea (CIL VI 6826), quae titulum exhibet hunc: *dis Manibus Aeliae Tyche P. Aelius Helix et Aelia Tyche*

[1] Dütschke, Antike Bildwerke in Oberitalien IV 456.

parentes filiae piissimae et Aelia Marciana sorori optimae fecerunt et sibi posterisque suis. Neque minus Iunonis habitu mortuae induebantur. Nam virgo velificante linteo ad modum Iunonis amicta in pistrice vehitur CIL VI 21601: *Luciliae L. f(iliae) Proculae Procula mater fecit et M. Iunio Sabino Petilliano.* Cum hoc comparandus est titulus CIL VIII 251 = Buech. 220, cuius initium est: *genitor Iunonem dedicat alteque Pompeiae locat.*

Supersunt pauci tituli, in quibus mortuos ad dei speciem esse effictos verisimile est. Imprimis iuvenes et pueros ad Mercurii speciem exprimendi mos vulgatus fuisse videtur[1]), ut titulus CIL VI 21502 positus est puero quinque annorum, VI 23032 puero sex annorum, VI 15893 ab Augusti liberto coniugi et filiae et filiis, quorum alter annos duos natus est, alter viginti novem. Qui tituli supra litteras Mercurii effigiem exhibent; addam XII 309, ubi in medio titulo corrupto Mercurii figura stat; confer etiam Mercurii statuam[2]), quam Conze (Arch. Anzeig. XXV 1867 p. 106) interpretatus est.

Mortuos etiam cum Apolline aequatos esse docet titulus saeculi alterius CIL XIV 3535 = Buech. 879 (Tibur):

Antinoo et Beleno par aetas formaque si par,
cur non Antinous sit quoque qui Belenus.

Nam constat Belenum, deum Celticum, cum deus esset fontis, quo aegris corporibus salus afferri putabatur, mox cum Apolline confusum esse eundemque saepe appellatum esse Apollinem Belenum[3]). Huic loco adiungam titulum Graecum ab Heuzey (Mission archéolog. en Macédoine, Paris 1876, p. 236 n. 107) editum, in quo pueri figuram mater effinxit ad Apollinis modum, puellae in Dianae speciem: . . . *ντθυς Ζείπαν καὶ Σεκοῦνδαν τὰ τέκνα μνείας χάριν καὶ ἑαυτὴν ζῶσαν.*

---

[1]) De Graecis monumentis, in quibus Mercurii figura invenitur, cf. Deneken ap. Roscherum I 2587.

[2]) Clarac, Musée de sculpture V 958, 2473.

[3]) Wissowa, Roscher I 755 sq. Ihm, P.-W. III 199 sq.

Sed quoniam vidimus, quantopere Romani religione pietateque commoti sint, ut mortuos in deorum numero referrent atque ad deorum speciem effingerent, illos titulos, in quibus nomina horum deorum iuxta mortuorum nomina leguntur, recte interpretari poterimus. Qua quidem in re distinguendum esse mihi videtur, utrum titulus his deis solis consecratus sit an deis simul cum mortuis, dico utrum dei nomen simpliciter iuxta nomen mortui positum sit an duo nomina sint coniuncta per *et* vel *et memoriae*. Sed utcumque res se habet, semper mortuum cum deo aequatum esse mihi est persuasum; neque iure Schröder[1]) titulos, in quibus nomina per *et* vel *et memoriae* coniuncta sunt, comparavit cum iis, qui formulam *in memoriam* continent, nec maiore iure contendit hos esse habendos quasi medium gradum inter consecrationem leviter indicatam et palam aperteque declaratam.

Inter titulos numinibus consecratos, cum quibus feminae mortuae aequatae sunt, priorem locum obtinent tituli ad Dianam pertinentes, quos habemus quattuor, quorum in uno figura mortuae ad Dianae speciem expressa invenitur:

CIL IX 6314 (Iuvanum): *Deanae sacr(um) Servandus Obidiae Maximae p(ater)*. X 6300 et add. p. 984 (Tarracina): *Dianae sacr(um) Quintae parentes fecer(unt)*. VI 12892: *Dianae sacrum Avidiae Eutychiae coniugi sanctissim(ae) et C. Avidio karo f(ilio) C. Avidius Gelos fecit.* Qui titulus etsi coniugi et filio positus est, tamen Dianae consecratus est, quae vultus coniugis gerit; num filius, qui eodem tumulo conditus erat, a patre in deorum numerum relatus sit, non indicatur; cf. titulum VI 21601 allatum supra p. 48. VI 10958: *d(is) M(anibus) sacrum Deanae et memoriae Aeliae Proculae P. Aelius Asclepiacus Aug(usti) lib(ertus) et Ulpia Priscilla filiae dulcissimae fecerunt.* Quo in titulo medio

---

[1]) Schröder l. c. 62.

litteras interrumpens stat figura Dianae arcu armatae, quae facie puellae insignis est.

Etiamsi pauci tituli Veneri consecrati ad nos pervenerunt, tamen e titulis supra enumeratis vidimus mulieres Romanas saepissime ad illius speciem expressas esse. Neque enim raro Veneri eadem significatio atque Iunoni tribuebatur, id est Venus non minus quam Iuno saepius ponebatur pro Genio feminae[1]). Sic interpretandus est titulus in Hispania repertus:

CIL II 4415 (Tarraco): *Veneri Latinillae M. Spedius Maternianus maritus.*

CIL VI 1424: *Glaucopi Veneri Gelliae Agrippiane c(larissimae) p(uellae) Aurelia Soteris et Mussius Chrysonicus nutritores lactanei.* In hoc titulo etsi Usener[2]) dicit „Sofern sie sich einem Manne verbunden hat, verehrt jede Frau auch ihre Venus," tamen puto Venerem interpretandam esse Genium mortuae, cum cognomen *Glaucopis*, quod alioqui non reperitur, non intellegatur, nisi ad mortuam ipsam refertur.

Figura Veneris, quae vultus mortuae gerit, invenitur:

CIL XIV 2793 (Gabii): *Veneri Verae felici Gabinae A. Plutius Epaphroditus accens(us) velat(us) negotiator sericarius templum cum signo aereo effigie Veneris item signis aereis n(umero) IIII dispositis in zothecis et balbis aereis et aram aeream et omni cultu a solo sua pecunia fecit.*

Atque etiam in complurium dearum speciem mortuae effictae sunt:

CIL VI 15594: *Fortunae, Spei, Veneri et memoriae Claud(iae) Semnes sacrum*; in fastigio sunt figurae *Fortunae* et *Veneris*. Atque quasi ad hunc titulum interpretandum legimus in VI 15593: *Claudiae Semne uxori et M. Ulpio Crotonensi fil(io) Crotonensis Aug(usti) lib(ertus) fecit. Huic*

---

[1]) CIL X 5019 = Buech. 181: *partam Venerem mors rapit;* cf. etiam Tibull. III 6, 48: *Iunonemque suam perque suam Venerem.* Verg. ecl. III 68: *parta meae Veneri sunt munera.*

[2]) Usener, Götternamen (Bonn 1896) p. 298.

monumento cedet hortus, in quo tricliae, viniola, puteum, aediculae, in quibus simulacra Claudiae Semnes in formam deorum, ita uti cum maceria a me circumstructa est. h(oc) m(onumentum) h(eredes) n(on) s(equitur).

In alio titulo Romae reperto Veneris nomen simul cum Cupidinis invenimus, quem Romanos Venerem comitantem saepe effinxisse supra diximus. CIL VI 20167: *Ti. Iulius Orpheus sibi et Orfitae f(iliae) an(nis) XIV virgini Veneri Cupidini inferor(um).*

Addam titulum Cupidini consecratum, in cuius speciem Romani praecipue infantes aut puellas et virgines effingebant, CIL VI 5314: *d(is) M(anibus) Aurelia Vitalis Cupidini Abiae suae benemerenti fec(it)*; in sinistro lapidis latere recumbit figura in lecto.

Fortunam quidem, ad cuius speciem figuram mortuae interdum expressam esse iam e titulo supra allato VI 23360 vidimus, primo deam feminarum fuisse notum est, deinde cum Tyche magis magisque confusam esse[1]).

Denique afferam CIL X 3815 (Capua): *C. Laetori Rufi o(ssa) h(ic) s(ita) s(unt) Tullia et mater feceru(nt). Plutoni C. Laetori C. f(ilii) Rufi sacrum.*

Ac primum constat cum Romani Plutonem, quem Ditem patrem nominant, a Graecis accepissent, apud scriptores Romanos[2]) non minus quam in titulis Latinis imprimis in carminibus epigraphicis inveniri opiniones, quibus Graecorum ingenium et inventio illum deum ornaverant, ut in titulis sepulcralibus legitur CIL VI 7898 = Buech. 1058: *at saevos Pluto rapuit me ad infera templa.* VI 6319 = Buech. 1066: *heu Ditis foeda rapina feri.* VI 25871 = Buech. 1219: *cum me florentem rapuit sibi Ditis ad umbras.* III 2197 = Buech. 1534: *abreptam aetate in inferi Ditis specus;* cf. etiam VI 28668a: *consecratae pietati et Genio inferno.*

---

[1]) Wissowa l. c. 257 sq.

[2]) testimonia vide apud R. Peterum, Roscher I 1179.

Sed tamen hic deus invenitur interdum iuxta deos Manes, quorum religionem vere Romanam fuisse non ignoramus, ex. c. in recentiore devotionis formula, quam Macrobius (Sat. III 9, 10) tradit; cf. CIL III 754 = Buech. 492. III 1854 = Buech. 1117. VI 6986 = Buech. 1034. VII 250 = Buech. 395, alia. Quin etiam nomen illius dei, postquam increbuit et in sermonis usum receptum est, nomina veterum numinum interdum expulit et ex. c. mundum occupavit[1]), ubi antiquitus dis Manibus sacra fieri solebant. Quae cum ita sint, verisimile est in hoc quoque titulo X 3815, in quo verba *Plutoni sacrum* in utroque nominis mortui latere posita sunt eodem modo, quo in multis titulis formula *dis Manibus*, Plutonem in locum deorum Manium substitutum esse, quod etiam Mommsenus putat[2]).

In remotiores provincias consuetudo mortuos cum dis aequandi non videtur esse progressa. Neque enim fortuito factum est, ut omnes fere tituli illi, quos recensui, Romae et in Italia reperti sint, unus in Hispania, unus in Gallia Narbonensi.

Quod in his titulis nomina Graeca saepissime inveniuntur, more Graeco Romam delato sine dubio imprimis usi sunt ii, qui natione Graeci erant. Et cum in multis titulis Genio et Iunoni consecratis nomen auctoris deesse viderimus, contra in his titulis semper legitur, quis eum posuerit, i. e. cognati superstites ipsi se auctores consecrationis proclamant.

---

1) Wissowa l. c. 312.
2) Mommsen CIL X p. 381.

IV

Sed habemus complures titulos, quibus etsi forma speciesque eadem est, tamen non eadem est adhibenda interpretatio, ut mortuum cum deo, cui titulus consecratus est, aequatum esse censeamus.

Ac primum quidem afferrem CIL VI 12524:

d(is) M(anibus) . . . chius Asinius DUPO (?) pater . . . . lta Threpte mater filiae [dul]cissimae quae vixit an(nis) XI mensibus XI diebus . . . . bene merenti fecerunt — Felicitati —,

nisi *Felicitatem* nomen filiae fuisse arbitrarer, praesertim cum nomen Felicitatis non raro inveniatur, v. CIL VI 7974. 8480. 8489. 10892. 11980. XII 843 = Buech. 553. de Rossi I 518 = Buech. 682. de Rossi I 749. 1166. Not. d. sc. 1908 p. 245. Rev. arch. XVI 1910 p. 353 n. 70.

Sed afferam tres titulos, in quibus de mortui cum deis aequatione vel ideo non potest cogitari, quod mortuis ac numinibus sexus est diversus.

CIL VI 12323: *. . . . io Aristoclidae filio dulcissimo qui vix(it) annis III . . . . Nemesi.* Nemesim quidem constat primo a militibus imprimis cultam esse, postea autem magis magisque cum Fortuna i. e. Tyche confusam esse[1]). Cui hic titulus, qui infanti positus est, mihi videtur consecratus esse.

Atque etiam in titulis Pietati consecratis mortuum cum dea non esse aequatum vel inde cognoscitur, quod cum in CIL V 2694 *Pietati* subsequitur verbum *aeternitati,* tum

---

[1]) Wissowa l. c. 377 sq.

maxime homines sexus utriusque in his sepulcris conditi sunt. Sed quaecumque verbo pietatis continentur, conformata sunt ad personam divinam, quae Pietas[1]) nominatur quaeque interdum epitheto *Augusta* addito aperte naturam divinam profert. Quam deam, cui templum anno 181 a. Chr. n. dedicatum est, cum pietatem significet inter homines cognatos aut familiari usu coniunctos intercedentem, in titulis sepulcralibus iure commemorari nemo negabit[2]). Sed qua necessitudine mortui et titulorum auctores usi sint, in his titulis nescio quo pacto raro indicatur; in duobus nomen eius, qui titulum posuit, deest, bis *Pietati* sequitur formulam *DM*, semel cum hac per *et* coniunctum et in extremo titulo positum est. De condicione vitae saepius, de officio non dicitur nisi in uno titulo, qui positus est viro nobili ordinis senatorii, qui consulatu iam functus erat:

CIL XI 4772 (Spoletium): *Pietati C. Calvisi C. f(ilii) Sabini patroni co(n)s(ulis) VII vir(i) epul(onum) cur(ionis) m(aximi).*

VI 7731 b: *Nonia M(arci) l(iberta) Felicula vix(it) an(nis) XXXV Vibius Quadratus M(anibus) et Pietati sacrum.*

V 2694 (Ateste): *d(is) M(anibus) Pietati aeternitati Sotericiano annorum VII Soterichus.*

IX 1920 (Beneventum): *Paccia C. l(iberta) Vitalis sibi et M. Valerio Tutori Pietati.*

Reliqui tituli videntur civibus Romanis positi esse:

VI 28551: *dis Manibus sacrum Pietati Veratiae P. f(iliae) Verae.*

V 4428 (Brixia): *Pietati Hostiliae Hostilianae VI vir(i) Aug(ustales) soci quib(us) ex permiss(u) divi Pii arcam habere permiss(um) primae benemerenti t(itulo) u(sa).*

Sed habemus duos titulos Pietati consecratos, in quibus inter deae et mortui nomina formula *in memoriam* legitur:

---

1) Wissowa l. c. 331 sq.

2) cf. titulum CIL VI 17130 = Buech. 963, in quo Pietas invocatur: *sed te nunc, Pietas, venerorque precorque.*

CIL II 332 (Scallabis): *Pietati Aug(ustae) sacr(um) Val(eria) Max(ima) in memor(iam) suam et filiarum suar(um) haec signa p(osuit).*

II 3265 (Castulo): *Pietati Aug(ustae) quod Cor(nelia) C. f(ilia) Maru[lla mate]r posituram se ordini Castulonensium r(. . .) promiserat in memoriam L. Cor(nelii) Marulli fili sui hoc donum illius C. Cor(nelius) Bellicus heres eius ex arg(enti) libris C(entum) d(edit) d(edicavit) editis circensibus.*

Superest, ut reliquos titulos, in quibus formulae *in memoriam* vel *in honorem* occurrunt, afferam. Quibus ex titulis multo melius certiusque quam ex iis, quos adhuc in hoc capite enumeravimus, concludi potest, his non propterea Romanos inscripsisse nomen dei cuiusdam, quod mortuum ad huius quidem dei speciem effinxerint aut cum deo aequaverint, sed potius quod sepulcrum tutelae ac praesidio eius commendaturi erant. Neque hanc titulorum formam effugere nos potest per totum imperium Romanum non passim, sed solis in certis provinciis repertam esse, in Hispania, Gallia Cisalpina, Dalmatia, duobus titulis exceptis, quorum alter in Pannonia, alter Epidauri positus est.

Ac primum quidem occurrit nobis nomen Iunonis in duobus titulis feminarum, quarum alteri a parentibus et fratribus, alteri a marito titulus factus est:

CIL II 4081 (Tarraco): *Iunoni Aug(ustae) sacrum in h(onorem) me(moriam) Caeciliae Ianuariae Luc(ius) Caecil(ius) Epitynchanus uxori optimae s(ua) p(ecunia) f(ecit).*

V 7811 (Albintimilium): *Iunoni reginae sacr(um) ob honorem memoriamque Verginiae P. f(iliae) Paternae P. Verginius Rhodion lib. nomine suo et Metiliae Tertullinae flaminic(ae) uxoris suae et liberorum suorum Verginiorum Quieti Paternae Restitutae et Quietae s(ua) p(ecunia) f(ecit).*

Nec minus feminis positi sunt quinque tituli Veneri consecrati, quorum in tribus Venus victrix appellatur:

CIL II 23 (Merobriga): *Veneri victrici Aug(ustae) sacr(um) in honorem Luciliae Lepidinae Flavia Titia filiae pientissimae.*

III 1965 (Salonae): *Veneri victrici in memoriam Albuciae C. f(iliae) Pontiae uxoris M. Marius Paulus l(oco) d(ato) d(ecreto) d(ecurionum).*

III 2770 (Riditae): *Veneri victrici Porticae Aug(ustae) sacr(um) in memoriam Antoniae Dec(ii) f(iliae) Paulae Dec(ius) Antonius Proculus decur(io) Salon(ae) et Coponia parentes l(oco) d(ato) d(ecreto) d(ecurionum).*

II 6054 (Saguntum): *Veneri sanctae in h(onorem) mem(oriae) Postumiae C. f(iliae) Marcellinae an(nis) LX Cor(nelius) Myrismus uxori.* Hunc titulum posuit maritus natione Graecus uxori, quae civis Romana fuisse videtur.

V 836 (Aquileia): *Veneri Aug(ustae) Vetilia L. f(ilia) Potens in memoriam Calviae Bassiliae suae posit.*

At tria sepulcra, quorum titulos nunc afferam, Dianae tutelae tradita sunt, non quia Diana erat mulierum dea, cum ii, qui sepulti sunt, virilis sexus sint, sed potius spectare videntur ad religionem graecam, qua Diana sagittis mortiferis non mulieres modo, sed etiam viros abripere credebatur, quod illustratur titulis in arce Philipporum repertis, in quibus etsi viris positi sunt figura Dianae tamen invenitur (CIL III 634. 635).

CIL III 3836 (Emona): *Dianae Aug(ustae) sacr(um) in memoriam T. Velli Ones(imi) IIIII vir(i) et Aug(ustalis) Emon(ae) IIIII vir(i) Aquil(eiae) Aug(ustalis) Parent(ii) Eutychus et Perigenes lib(erti).*

Eph. ep. V 196 (Epidaurus): *Dianae Lauci sacr(um) in memoriam L. Iuli Elpidiani* . . . .

CIL V 772 (Aquileia): *Dianae Aug(ustae) in honorem L. Vibi Luculli patroni indulgentissim(i) Epagathus lib(ertus) v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito);* si modo hic titulus inter sepulcrales recensendus est.

Huic loco asserendus est titulus CIL II 4458 (Aeso): *Lunae Augustae sacrum in honorem et memoriam Aemiliae L. f(iliae) Maternae L. Aemilius Maternus et Fabia Fusca parentes s(ua) p(ecunia) f(e)c(erunt),* cum Lunam cum

Diana et coniungi (cf. ex. c. aram CIL V 3224) et confundi solitam esse notum sit.[1])

Nunc vertamus animum ad complures deos, qui in tam paucis titulis inveniuntur, ut vix plus singula testimonia exsistant. Inter quos Apollo et Mercurius ideo reperiri puto, quod alteri a Graecis vis mortifera tribuebatur, alteri animarum ad inferos deducendi officium[2]).

CIL II 6181 (Gerunda): *Apollini Aug(usto) honori memoriaeque L. Aemili L. fil(ii) Quir(ina) Celatiani Porcia Festa fili karissimi l(oco) d(ato) d(ecreto) d(ecurionum).*

CIL V 2801 (Patavium): *Mercurio Aug(usto) sacr(um) in memoriam C. Larti Taurini fili posuit [A]elia Maxima [m]ater l(oco) d(ato) d(ecreto) d(ecurionum).*

Aliorum autem numinum tutelae sepulcra non ob illorum numinum cum morte coniunctionem, sed ob rationes singulares commissa esse videntur, videlicet quia haec numina inter hominum sepultorum, quoad vivebant, aut eorum, qui titulos ponebant, penates primarium locum occupabant.

CIL II 8 (Ossonoba): *I(ovi) o(ptimo) m(aximo) in memoriam L. Atili Maximi Severiani fil(ii) pientissimi L. Atil(ius) Atil[i]anus et Artullia C. f(ilia) Severa ex gentilib(us) posuerunt.*

CIL II 351 (Collippo): *Minerva[e] sacrum in memor[i]am Cari[si]ae C. f(iliae) Qui[n]tillae . . . . . . nia . . . .*

CIL II 4087 (Tarraco): *Neptuni Aug(usti) sacrum in honorem et memoriam Aemil(ii) Augustalis Aemilia Nymphod[o]te fil(io) et conliberto s(ua) p(ecunia) f(ecit).*

CIL II 22 (Merobriga): *Marti sacrum in honorem C. Pag. Marini Pag. Mariane fratri pientissimo.*

II 5026 (Scallabis): *Marti sacrum Allia Amoena in honorem T. Aemili Martiani fili fecit.* Ex cognomine *Martianus* apparet mortuum quasi a prima infantia in Martis tutela fuisse.

---

[1]) Wissowa, P.-W. V 325 sqq.

[2]) CIL VI 520 = Buech. 1528; cf. etiam Hor. carm I 10. Wissowa l. c. 305. Schröder l. c. p. 65.

CIL III 3115 (Arba): *Matri deum porticus im memoriam su[orum] T. Prus[i]us T. f(ilius) Sc[r](ius) Op[tatus t(itulum) p(onere) ius]s[i]t [p]e[r] Babria[m] T. f(iliam) Ter[tullam] sororem heredem[que].*

V 520 (Tergeste): *M(atri) d(eum) m(agnae) in memor(iam) Usiae L. fil(iae) Tertullinae sacerd(otis) divarum matris suae Sex. Appuleius Marcellu(s) d(onum) d(edit).*

Isidis et Serapidis tres tituli, quos habemus, quod in Hispania reperti sunt, casui tribuendum esse arbitror, cum illos deos in hac quidem terra magis quam in aliis provinciis cultos esse nullis argumentis demonstretur:

CIL II 46 (Pax Iulia): *Serapi Pantheo sacrum in honorem C. Mari Prisciani Stelina Prisca mater filii indulgentissimi d(onum) d(at)*; ubi adnotatione dignum est Serapidem mox cum Plutone confusum esse.

II 3386 (Acci): *Isidi puel[lari] iussu dei N[etonis] Fabia L. f(ilia) Fabiana avia in honorem avitae neptis piissimae ex arg(enti) p(ondo) CXII s(emis) (unciarum duarum)*, sequuntur ornamenta; ab Accitanis Martem vocari *Neton* docet Macrobius[1]).

II 4080 (Tarraco): *Isidi Aug(ustae) sacrum in honor(em) et memoriam C[ae]liae Sabinae Clod(ia) Orbana mater Sempronia Lychnis avia.*

In Silvani dei tutelam sepulcra committendi mos imprimis in Gallia Cisalpina usu venisse videtur. Nam cum tredecim tituli ad nos pervenerint, qui ad unum omnes Aquileiae[2]) reperti sunt, hoc casui tribui nequit, sed Augustalibus templum Silvani Aquileiae fuisse videtur[3]). Inter hos titulos distinguendae sunt tres species, quarum in prima legitur *in memoriam*, in secunda *in honorem*, in tertia utraque formula reperitur. Sed cum in nonnullis

[1]) Macrobius Sat. I 19, 5.

[2]) Quod ad titulos Aquileiae repertos attinet cf. Maionica, Führer durch das k. k. Staatsmuseum in Aquileia. Herausg. vom österreich.-archaeol. Institut. Wien 1910.

[3]) v. Domaszewski, Abhdlg. z. röm. Religion, p. 72.

titulis eiusmodi an honorarii sint in dubio relinquatur, praesertim cum ignoremus, quae fuerit forma lapidum, quibus plerique horum titulorum inscripti sunt, quin ii tituli, qui formulam *in memoriam* solam continent, sepulcrales sint, dubium non est. Nam hominem, in cuius memoriam titulus positus est, mortuum esse puto ex hac formula concludendum esse, ut in titulis sepulcralibus permultis *memoriae* occurrere supra vidimus:

CIL V 821: *Silvano Aug(usto) sacr(um) in memoriam Q. Etuvi Hedychri IIIII vir(i) Aquil(eiae) Q. Etuvius Eros lib(ertus) IIIII vir Aquil(eiae) d(onum) d(edit).*

V 822: *Silvano Aug(usto) sac(rum) in memor(iam) P. Mutilii Laurentini fil(ii) et P. Mutilii Glyconis coniug(is) d(onum) d(edit).*

V 824: *Silvano Aug(usto) sacr(um) in memoriam C. Rufi Anthi IIIII viri Thallus lib(ertus) d(onum) d(edit).*

V 825: *Silvano Aug(usto) sac(rum) L. Spurius Celer in memoriam C. Avili C. f(ilii) Flori vet(erani) coh(ortis) V praet(oriae) d(onum) d(edit).*

V 828: *S(ilvano) A(ugusto) s(acrum) in memor[iam] L. T. Fruendi patroni IIIII vir(i) et Aug(ustalis).*

Tituli in quibus *in honorem* legitur, nobis maximas difficultates praebent nec possumus pervenire ad certum indicium, utrum sepulcrales an honorarii sint Quod e formula *in honorem* ipsa certo duci nequit, quia saepius leguntur similia in titulis sepulcralibus ut CIL VIII 8395: *d(is) M(anibus) s(acrum) honori et memoriae.* II 5168: *d(is) M(anibus) s(acrum) honori;* neque hos titulos honorarios esse certo apparet e voce *benivolentia* (V 831), ne inde quidem quod titulus V 8244 patrono positus est a liberto, cum in titulis modo allatis, qui *in memoriam* continent, idem fieri viderimus.

V 830: *Silvano Aug(usto) in honor(em) M. Trosi Daphni IIIII viri et M. Trosi Cissi lib(erti) M. Trosius Modestus d(onum) d(edit).*

V 831: *S(ilvano) A(ugusto) s(acrum) P. Tullius P. l(ibertus) Pedianus in honorem et benivol(entiam) P. Tulli Ty* . . . . .

V 8244: *Silvano Aug(usto) in hono(rem) L. Anni Eupori patroni sui L. Annius.*

Suppl. Ital. I 168: *Silvano Aug(usto) sacr(um) in honor(em)* . . . . . *Claud* . . . . .

Denique in titulis, in quibus duae formulae inveniuntur, formulam *in honorem* cum vivi nomine, *in memoriam* cum mortui coniunctam esse probabiliter coniciat quispiam. Nimirum e formula *in honorem* hoc non apparet, quod et *in honorem* interdum non minus cum mortui nomine coniunctum est et duae formulae altera post alteram positae — *in honorem memoriae* vel *memoriam* — saepe reperiuntur, etiamsi de mortuo solo agitur; sed e diversis formulis sine dubio concludi posse puto etiam hominibus, quorum nomina formulas subsequuntur, non eadem accidisse; dico cum homines, quorum nomina cum formula *in memoriam* coniuncta sunt, mortuos esse nemo neget, reliquos homines, qui in his titulis nominantur, nondum de vita decessisse; ex. c. V 829 positus est in honorem L. Titi Ismari ab eius liberto in memoriam patris cuiusdam et filii:

V 829: *Silvano Aug(usto) in honor(em) L. Titi Ismari et in memor(iam) L. Titi Epagathi Hermetis fil(ii) et L. Titi Epagathi sen(is) L. Titius Onesimus Ismari lib(ertus) IIIIII vir Aquil(eiae) d(onum) d(edit).*

V 827: *Silvano Aug(usto) sacr(um) in honor(em) L. Stati Onesimi IIIIII vir(i) et in memor(iam) C. Stati Primigeni Aug(ustalis) d(onum) d(edit) L. Stati Hermetis L. Statius Encolpus IIIIII vir.*

V 832: *S(ilvano) A(ugusto) s(acrum) in honor(em) L. Valeri Nymphodot(i) VI vir(i) et d. d. Aug(ustalis) et C. Stati Primig(eni) et in memoriam C. Stati Heuret(i) VI vir(i) et d. d. Aug(ustalis) Alypus lib(ertus).*

V 833: *S(ilvano) A(ugusto) s(acrum) in honorem L. Va-*

leri Nymphodoti et C. Stati Primigeni et in memoriam C. Stati Heureti Eupor(us) lib(ertus).

Titulos V 832 et 833 esse positos eisdem hominibus videmus, neque neglegendum est nomen C. Stati Primigeni V 827 cum formula *in memoriam* coniunctum esse, V 832 et 833 cum formula *in honorem*.

Quibus in titulis, quod ad formam attinet, vidimus nomen eius, qui titulum posuit, dei nomen subsequi bis, reliquorum autem omnium finem facere atque in duobus deesse. Si quis quaeret, cuius populi homines, qui in illis titulis nominantur, sint, qua vitae condicione usi sint, etiam hos titulos cognoscet maxima ex parte a libertinis positos esse. Nam in titulo V 825 solo et mortuus et is, qui titulum posuit, cives Romani sunt. Nec minus mirum est, quod in tam multis titulis aut mortuus aut tituli auctor seviri Aquileiae fuerunt[1]) — tredecim titulorum nominantur seviri in septem —, sed quo privato usu mortuus cum tituli auctore coniunctus sit, in tribus tantum dicitur.

[1]) de hac re cf. v. Domaszewski l. c. p. 71 sq.

Vita.

Guilelmus Gustavus Waltharius Schwarzlose natus sum a. d. XVIII Kal. Iul. anni MDCCCLXXXIX in oppido ad Albim sito, cui nomen est Muehlberg, patre Guilelmo, qui iudicio tum erat regio adscriptus, nunc emeritus est, matre Clara e gente Schwarz, quos adhuc superstites esse maxime laetor. Fidem profiteor evangelicam.

Ingresso mihi eam aetatem, qua parentes pueros praeceptoribus publicis tradere solent, pater Magdeburgi collocatus est a. MDCCCLXXXXIV. Ibidem frequentavi praemeditatorium et paedagogium „zum Kloster Unser Lieben Frauen" usque ad mensem Martium anni MDCCCCVIII, quo anno testimonium maturitatis adeptus numero civium universitatis Gryphiswaldensis adscriptus sum. Postquam autem per sex menses in studia philologica incumbere coepi, me contuli Berolinum, quo ducebat summum desiderium, quod mihi iam discipulo fuerat. Ibi per ter sex menses versatus Halas transmigravi vere anni MDCCCCX. Scholis interfui virorum doctissimorum:

Gryphiswaldiae: Bickel, Gercke, Heller, Hosius, Pernice, Rehmke, Semrau.

Berolini: Deissmann, Diels, Gressmann, Lasson, Mewaldt, Norden, Riehl, Rothstein, Schmidt, v. Soden, Vahlen, Wentzel, U. v. Wilamowitz-Moellendorff, Wölfflin.

Halis: Abert, Bauch, Bechtel, Fries, Kern, Loofs, Lütgert, Menzer, Mulert, Nebert, Praechter, Robert, v. Stern, Steuernagel, Weber, Wissowa.

Ad exercitationes philologicas benigne me admiserunt: Diels, Helm, Hosius, Kern, Mewaldt, Praechter. Proseminario philologico Gryphiswaldensi et Berolinensi per quater sex menses adscriptus eram; seminarii Halensis sodalis ordinarius per bis sex menses fui. Praeterea ad exercitationes me admiserunt paedagogicas Fries, archaeologicas Robert. Praeceptoribus omnibus meis gratias ago magnas, imprimis vero gratiam summam semper habebo Georgio Wissowa, viro illustrissimo, qui huius commentationis conscribendae auctor fuit et opera consilioque maxime me adiuvit.

Ad exercitationes philologicas benigne me admiserunt: Diels, Helm, Hosius, Kern, Michaelis, Vahlen. Proseminario philologico Gryphiswaldensi et Berolinensi per quattuor menses adscriptus eram; seminarii Halensis sodalis ordinarius per bis sex menses fui. Praeterea ad exercitationes me admiserunt [illegible], archaeologicas Robert. Praeceptoribus omnibus [illegible] gratias ago maximas, imprimis vero gratiam [illegible] semper habebo Georgio Wissowae, viro illustrissimo, qui huius commentationis conscribendae auctor fuit et opera [illegible] mihi adfuit.